

B. M. II, 69.

h. II, II.

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

II R
1528

IMPERATO
RE ROMANO-GER-
MANICO, ET STATIBVS
IMPERII

X 1876049

QVAM

Ex Decreto & Autoritate

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI ORDINIS IVRIS-
CONSULTORVM IN ACADEMIA IVLIA
PRAESIDE

Amplissimo atq; Consultissimo Viro

DN. IOHANN. THOMA CLVDIO
ICto, PANDECTARVM PROFESSORE ORDI-
nario, Facultatis Iuridicæ Seniore & p. t. Decano, Sere-
niss. item Brunsvv. & Lunæb. Ducis Consiliario, promo-
tore suo æternum honorando

PRO DOCTORIS IN VTROQVE IVRE PRIVILE-
GIIS ET HONORIBVS CONSEQVENDIS

Publicè examinandam proponit

CHRISTIAN-VVILHELMVS Engelbrecht
Halensis-Saxo.

IN NOVO IVLEO

Horis ante & pomeridianis

Ad diem XIIII. Augusti.

HELMÆSTADI,

Apud HENNINGVM MULLERVM,

Anno clc lxc XL.



IMPERATOR
RE ROMANO GER

MANICO ET STATIBVS
IMPERII

BIBLIOTHEK
POMUCKAVIA

BIBLIOTHEK
HALLER
UNIVERSITÄT

Hortis sine & potentillaris
In Novo Jv

WELMESTADT
Auch HERNINGOM MVLITIAM





Thesis I.



Differenti de Imperio nostro Romano-Germanico, tum Politici tum Ecclesiastici ejus Regiminis forma accuratè cognita sit necesse est. His enim duobus quasi fulcris patria, imo omnis benè constituta Respubl. præcipuè innititur. Docet idipsum recta ratio, Historiæ passim testantur, demonstrant autem pluribus Plato, Aristoteles, Plutarchus, Cicero & quotquot illorum sunt, qui nostris temporibus hæc in Philosophiæ parte & Germanici Imperij descriptione præclara nobis dederunt monumenta.

II.

Quamvis autem publici nostri juris cognitio diffusa admodum sit, adeoque frustra sim, si utriusque Regiminis formam accuratè una atque altera, ut dicitur, pagella proponere velim; operæ pretium tamen fore existimavi, præcipua saltem delibare, atq; publico huic examini subijcere, reliqua verò iis quibus hæc accuratius cognita sunt, & nostræ Reipubl. constitutionem experientia didicerunt, relinquo.

III.

Principiò igitur extra omnem collocamus controversiam, communem nostram patriam, imperium nempe Romano-Germanicum, magnam quandam esse civitatem, cujus singulæ partes separatim consideratæ peculiarem quendam statum atque Reipubl. formam præ se ferunt.

A 2

Spe-

Spectatâ autem totius atque partium mutuâ relatione una tantum civitas, una tantum Respubl. apparet.

IV.

Verum mutua illa partium relatio in subjectione potissimum consistit atque imperio. Imperat qui jura majestatis exercet, subjicitur qui parendi necessitate adstringitur. Et ex certâ illâ atque determinatâ Imperij seu majestatis communicatione atque subjectionis modo certa quoque patriæ Reipubl. forma resultat.

V.

Cum itaque Germania, hoc modo considerata, magna quædam civitas atque una saltem Respublica sit: Respublica autem, definiente Aristotele, *ordo civitatis sit cum in aliis magistratibus tum in eo maxime qui omnium Princeps est*, ordo naturæ postulat, ut, priusquam singulorum civium ac statuum Imperij dignitatem, potestatem, & cæteras qualitates consideremus, de summo Imperij magistratu, laborem nostrum exordiamur.

VI.

Supremus autem & summus Germaniæ magistratus est Imperator, qui Augustus, nonnunquam etiam Cæsar solet appellari. Ratio denominationis per se cuivis nota est, ex veteri Romanâ historiâ imperijque nostri constitutionibus manifestè constat. Illam autem dignitatem non hæreditariam, sed electitiam à primis inde usque imperij primordiis fuisse ex continuâ historiæ serie demonstrare conabimur.

VII.

Et veterum quidem memoriam repetentibus facile apparet, omnibus Germaniæ populis non unam fuisse civitatem unamque Rempubl. sed in varias illos partes abiisse. Tantum enim abest, ut unum in Reipubl. corpus tot populi coaluerint, ut ne fœdere quidem juncti inter se fuerint. Ea scilicet erat animorum feritas, ut Tacito teste, *ne iunctas quidem sedes inter sese paterentur*; & Cæsar: *Civitatibus, inquit, maxima laus est, quam latissimis circum se va-*

se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis exas-
tant expulsos agris finitimos cedere, neque quonquam prope se audere
consistere, simul hoc se fore tutiores arbitrantur repentina incursionis
timore sublato. Quæ etiam suo testimonio confirmat Pom-
ponius Mela. Existimandum tamen ideo non est, singulos
illos populos nullam omnino habuisse Rempub. nulla e-
nim in universoni societas sine legibus continetur, nec po-
puli isti feroces sine societate & imagine quadam Reipub.
vivere potuerunt. Qualis autem Reipubl. forma apud
ipsum fuerit, ostendunt nobis clarissime Romanorum scri-
ptores, & si non aliunde pateret, ipsis quoque tacentibus
bellicosus majorum nostrorum animus & ferocia satis il-
lam ostenderet. Pluræque autem civitates democraticè,
paucissimæ regiè fuerunt gubernatæ. Isti autem Reges in
publicis totius populi conventibus fuerunt constituti,
neminiq;ue regalis illa dignitas nisi mediante libera ele-
ctione fuit collata; licet populus nunquam temere, quam-
diu superesset aliquis regiæ stirpis nisi proximum sanguine
elegerit, quod Tacitus innuit, quando Reges ex præcipua nobi-
litate sumtos fuisse narrat. Manifestius autem inde constat
quando lib. de Mor. Germ. Insignem, ait, nobilitatem aut ma-
gna patrum merita principis dignitatem etiam adolescentulis contu-
lisse. Et hæc ratione hæreditariæ aliquid successions con-
stitutio Regum habuit jam ab antiquissimis temporibus
apud Germanicas gentes & nihilominus remansit aliquid
liberæ electionis, quod ex sequentibus manifestius appa-
rebit. Et hic apud majores nostros antiquissimus Regum
constituendorum mos fuit.

IIIX.

Paulo post illa tempora seculo nimirum tertio &
quarto post Christum natum, ubi Francorum tum nomen
tum imperium in Germania primum cepit, ex gentis illi-
us historia constat, apud hunc etiam populum potentissi-
mum tum temporis in Germania antiquam illam magi-
stratum constituendorum consuetudinem fuisse observa-
tam. De primis enim Francorum Regibus nullum omni-



nō dubium est. Certō enim nobis constat Pharamundo primo illorum Regi Imperium electione obtigisse. Idem de Clodovæo, Gundibaldo, Sigeberto, Dagoberto, Merovæo Pharamundi successoribus testantur, Sidon. Apoll. Paulus Diacon. Gregorius Turonensis, Otto Frisingens. & ex his Franc. Hottoman in Francogal. c. 5. Christoph. Lehm. in Chronico Spirensi lib. I. & II. passim. Gothicæ historiæ Jornandis duarum regiarum familiarum mentionem faciunt, Amalæ & Baltæ, quibus solis ad Regium fastigium fuit concessus. Idem ex Longobardica historia de duabus familiis regis, quarum ultima Flavia fuit, probari poterit. Nec tamen, ut præcedenti thesi dictum, propterea ullibi illæ dignitates fuerunt hæreditariæ, sed à liberrimo totius populi suffragio dependerunt.

IX.
Liberam autem ista Regum electio non desit in Carolo Magno ejusque posteris, penes quos per integrum sæculum regia illa dignitas permansit. Carolus enim Magnus & Francici & Romani Regis atque Imperatoris titulum atque insignia utriusque populi suffragio, accedente consensu Pontificis Leonis tertij, consecutus est. Atque eo ipso Cæsarea illa dignitas Imperij Occidentalis à Græcis ad Francos translata fuit. Cujus verò autoritate ac potestate hæc translatio facta sit, diversæ diversorum sunt sententiæ.

X.
Adversarij nostri Pontificij scriptores magnam partem Leonem Tertium tum temporis Pontificem collatorem Regij istius tituli confidenter asserunt. Nos autem putamus hanc Pontificiorum assertionem non tantum historicâ fide destitui, sed etsi collatio istiusmodi facta probari posset, nullo omnino jure factam esse. Verum quantum quidem nobis videtur, quicquid juris hæc in causâ Pontifices unquam sibi tribuerunt, ex Constantini Magni donatione Sylvestro Pontifici facta, fortassis erit æstimandum. Illam autem neque factam esse neque fieri jure potuisse, extra omnem controversiam ponimus. Quid enim
C. Con-

C. Constantinus. dist. 96. fidei tribuendum sit inde constat, quod in eo mentio fiat sedis Constantinopolitanae, quae tamen nulla tum erat in rerum natura, quia donatio facta dicitur, antequam Constantinus Romanam urbem reliquisset. Atque tum Constantinopolis nondum erat, nedum Ecclesia quae annis aliquot post demum fuit instituta. *Nic. lib. 8. c. 4.* Certum enim est tempore Valentis demum fuisse repertum, ut qui primariae illi praererat civitati patriarcha diceretur, non minus atque Romanus. Nec Constantini M. temporibus in Nicæno concilio de isto dono Papæ Romano facto ulla omnino mentio facta est. Origo hujus figmenti ex verbis privilegij olim ab Ottone III. Sylvestro Pontifici concessi patet, quae ita sese habent. *Confusis vero papaticis legibus, & iam abiecta Ecclesia Romana, in tantum quidam pontificum creverunt, ut maximam partem imperii nostri Apostolatui suo coniungerent, iam non querentes quae & quantitas suis culpis perdidissent, non curantes quanta ex voluntaria vanitate effuderunt; sed sua propria, utpote ab illis ipsis dilapidata dimittentes quasi culpam suam in imperium nostrum retorquentes, ad aliena, id est, ad nostra & nostri imperii maxime migraverunt. Hac sunt enim commenta ac illis ipsis inventa, quibus Ioannes Diaconus cognomento digiterum munitus, praeceptum aureis literis scripsit, sub titulo Magni Constantini longa mendacii tempora finxit.* Vid. Baronius in tom. *Ann. sub. Anno 1191.* & Christ. Lehmann. in *Chron. Spir. lib. 5. c. 15.* Omnes item scriptores atque historici de donatione ista ita scripserunt, prout Pontifices in Ecclesia Romana credi voluerunt. Sic Bartolus in praefat. ad Digesta n. 14. Cum multa non obscure contra hanc donationem disputasset, tandem *videte, inquit, quod nos sumus in terris Ecclesiae idcirco dico quod donatio illa valeat.* Ita nec Eusebius, nec Socrates nec Sozomenus, nec Theodoretus, nec Victor nec Zosimus, nec quisquam ferme istius seculi ejus rei mentionem facit, quam tantam rem verisimile est tam sicco pede non fuisse praeterituros, qui multo minutiora memoriae tradiderunt. Hinc merito Aeneas Sylvius irridet eos, qui disputant an donatio illa valeat, quae nunquam facta fuerit.

fuerit. Quod si etiam secuta tempora, Italiae statum, atque Occidentalis Imperij administrationem consideremus, manifestò apparebit eam potestatem in Pontifices non fuisse translata. Constantinus enim post obitum filii sui Constanti nimirum & Constantio tam Orientalis quam Occidentalis imperij gubernationem tradidit. Et Theodosius II. Valentinianum amitæ suæ Placidiaë filium Cæsarem effectum cum matre ad recipiendum Occidentis Imperium misit, quod & ex sententia ita successit & Valentinianus consensu totius Italiae Imperator constitutus est. Ex historia item manifestò constat imperatores tam Orientis quam Occidentis suos semper habuisse prætorio præfectos, qui secundo post ipsos gradu fuerunt ejusdem potestatis atque autoritatis. Primus fuit in Oriente Constantinopoli, secundus in Illyrico. In Occidente primus Romæ, secundus in Galliis in urbe Trevis. Qua sane Occidentalis Imperij administratione opus non fuisset, si Constantinus Magnus in manus Sylvestri Pontificis imperium resignans illud totum à sese abdicasset. Illud verisimile est Papam post factam sedis imperatoriae translationem, in Romana civitate præcipua fuisse dignitatis, sibi que quoddam in reliquos cives imperium arrogasse, ita ut sine istius vel consensu vel approbatione nihil omninò in civitate peragi potuerit: ipsum autem in reliquas Provincias Occidentis Imperij eandem potestatem atque jurisdictionem jure exercere potuisse nunquam demonstrari poterit. Hieronymus Donatus Reipubl. Venetæ apud Alexandrum VI. legatus incertum qua sermonis occasione per jocum quæritanti Pontifici, quibus tandem titulis urbs Veneta possessionem maris Adriatici tueretur, extemporali responso quæstionem solvit, *Ostendat mihi vestra sanctitas, ait, instrumentum donationis Constantinianæ, apparebit id Opistographum & versa pagina Venetorum privilegium atque ius in mare Adriaticum exhibiturum esse* Thomas Lanfius in *Orat. Cont. Italiam*. Cæteri scriptores atque historici qui hac de donatione quicquam memoriæ tradiderunt

omnes

omnes & singulos recenset Henning. Arnifæus in discursu suo de donatione hac Constantini M.

XI.

His ita positis nemini non apparet quid de collatione ista Imperij in Carolum M. à Leone III. factam judicandum sit. Tantum enim abest ut vi donationis Constantinianæ Italici aut Occidentis imperii jura potuerit sibi vendicare, ut ne legitimus illius Imperii administrator unquam fuerit. Quomodo autem plus juris in alium transferre potuit, quam ipsemet unquam habuit.

XII.

Verum ut paucis nos expediamus de tota hac controversiâ ita nos sentimus. Certum est Pipini, Martellii & Carolomanni auxilia adversus Longobardos ab Hadriano Pontifice totius populi applausu implorata, eosque re feliciter gestâ in Patritiorum Romanorum ordinem esse cooptatos. Certum itidem est postmodum etiam Carolum M. Pontifici adversus eosdem Italiæ hostes suppetias tulisse, atq; majorum suorum exemplo à Papa Clero atque universo populo condito Scto Patritium & Romanæ Ecclesiæ advocatum collatis ei & in eum omnibus Exarchi imperialis privilegiis jure plenario & absoluto esse confirmatum anno post Christum natum 774. Hoc decretum existat apud Melchiorem Gold. ab Haiminf. tom. III. *Constitut. Imp. 16. & cap. 22. dist. 63.* Communis deniq; atq; unanimis historicorum consensus confirmat Carolum M. à S. P. Q. R. non excluso Pontificis tanquam præcipui Romanæ civitatis membri consensu, in Regem Romanorum fuisse electum. Lambertus Shaffnaburg. *Carolus à Romanis, inquit, Augustus est appellatus, ubi ne quidem mentionem Pontificis facit.* Herm. *Contractus in Chron. Anno 800. ait. Carolus imperiali benedictione sublimatus, Augustus & Cesar Romano more appellatur.* Aeneas Sylvius *de ort. Rom. Imp. c. 9. Populus ille Romanus, ait, qui suo sanguine pararat Imperium, Carolum M. primo patritium post Augustum concurrente summi Pontificis consensu salutavit Cesarem.* Nobis autem his præsuppositis indubita-

B

tum

cum manet Carolum M. sublato Longobardorum Regno quicquid ferme erat Occidentalis Imperij in Italia jure belli sibi acquisivisse; accessisse postmodum consensum totius Populi Romani, quemque verisimile est in arduo hoc negotio Pontificem svasorem atque impulsorem habuisse. Si quidem Episcopi tum temporis inter præcipua alicujus civitatis membra connumerabantur & in Ecclesiâ Constantinopolitana Patriarchæ in comitiis & consultationibus publicis multum autoritatis habuere, ac potissimum ubi ad Imperatoris electionem esset deveniendum: Populus enim simul cum Patriarcha tanquam unum civile corpus, cujus nobilissimum membrum esset Patriarcha, electionem in solidum peragebant. Eleganter hanc controversiam pluribus decidit Melchior Gold. in *Replie. sua pro Imperio* c. 13. Marf. Patavinus lib. 6. cap. ultimo. *Ex prædictis, ait, evidenter apparet tempore Pipini Regis & Stephani Pape Romæ ordinatam fuisse translationem Imperii Romani de Grecis ad Francos. Tempore vero Adriani primum Carolum M. dispositorem Ecclesiæ ac Romani Pontificis electorem & urbis Romæ patritium ordinatum: tempore vero Leonis III. Carolum M. Romanum Imperatorem effectum & etiam ipsius tempore translationem Imperii realiter factam de Grecis in Francos, &c.*

XIII.

Sed ut eò unde digressi sumus revertamur, satis jam constat Caroli M. Imperium fuisse omnino electitium. Idem etiam de posteris ejus imperij successoribus statuendum arbitramur. Quamvis enim per plurimas successiones filius ut plurimum patri successerit, adeoque Imperij jura quoad successionem videantur immutata: quod si tamen rem paulo accuratius ponderemus, pristina etiam tum temporis jura populo atque proceribus mansisse integra, nec absq; electione prædictâ aut saltem Imperatoris viventis nominatione cum reliquorum optimatû consensu Imperatoribus eam dignitatem obvenisse apparebit. De Ludovico Pio quin patri eo modo successerit nullû nobis dubium est. Nec quicquam nos movet Caroli M. testamenti

menti factio, qua præter alia ad Reipubl. statum pertinen-
tia certum sibi Regni successorem constituisse dicitur. To-
tam enim hanc rem totius populi atque procerum libero
arbitratui commisisse verba testamenti diserte innuunt,
quæ ita sese habent. *Quod si filius cuiuslibet istorum trium fra-
trum* (filiorum scil. Caroli) *natus fuerit, quem populus eligere ve-
lit, ut patri suo succedat in hereditate Regni;* unde etiam Ado Vi-
ennensis speciatim memorat, voluisse eum testamentum
suum à Francorum optimatibus confirmari. Et Eginhar-
dus in ejus vita, *Carolus M. extremo vite tempore, ait, quum iam
morbo & senectute premeretur evocatum ad se Ludovicum Aquita-
nie Regem congregatis solenniter de toto Regno Francorum primori-
bus cunctorum consilio consortem sibi totius Regni & Imperialis no-
minis heredem instituit.* Idem testatur Anshelmus Benedicti-
nus in annal. Francorum Anno 813. Strabo Fuldensis in Annal.
Franc. Anno 813. Item Theganus Chorepiscopus Trevirensis
de gestis Ludovici Imp. c. 6. Et Paderbornensis Monachus in
vita Caroli M. lib. 4.

*Iam gravis Augusto morbus, ait, simul atq; se-
nectus &c.*

*Vnde duces ac primores solenniter omnes
Atq; Magistratus ad Concilium generale
Vndiq; collegit, natoq; suo Ludovico
Cunctorum cum consilio ius omne regendi
Tradidit Imperii, successoremq; paterni
Imposito designavit Diademate, &c.*

XIV.

Mortuo Ludovico Pio communi omnium suffragio
succesit Lotharius. Post hujus filiorumque obitum anno
856. cum Regnum tanquam hæreditario modo & jure ad
Fratrem Ludovicum pertineret, principes & status tum
seculares tum Ecclesiastici Carolum Calvum Imperatorem
elegerunt, repudiato Ludovico. Quod factum ita ipsum

offendit, ut ejus instinctu Carolus à Pontifice Hadriano II. fuerit excommunicatus, principes vero Imperij eandem ob causam reprehensi ita responderunt. *Non precipiat nobis habere regem qui nos in sic longinquis adiuuare non possit, & nos Francos non iubeat seruire, cui nolumus seruire, quia istud iugum sui antecessores nostris antecessoribus non imposuerunt, nos illud portare non possumus*, Pythæus in Annal. Baron. Anno 806. n. 21. Eodem modo ita rem sese de cæteris etiam Caroli M. posteris habuisse, ex Francorum historia manifesto constat, & hujus rei quàm plurima exempla magno cum studio congescit Christ. Lehm. in Spir. Chron.

XV.

Illud autem quod diximus non tantum in Carolino stemmate, sed in Saxonica quoque familiâ, ex qua Imperatores postmodum desumpti sunt, obtinuisse, ex historiis satis ostendi potest. Post obitum enim Ludovici IV. proceres Imperij neglectis filiis superstitis Arnulphi V Vernero & Conrado Comitibus, Imperij insignia dederunt Conrado I. Non enim verisimile est hunc, ut Trithemius asserit, filium esse Arnulphi ex secundo conjugio. Reuera comes Hafsia & Francia fuit *Rhegino lib. 6.* Reufnerus tamen incertæ eum originis asserit; eorum autem opinionem qui Arnulphi filium credunt, esse erroneam ac nullis innitionibus. Conradus primus morti vicinus convocatis omnibus Regni proceribus svasit ut Henricum Saxonie & Thuringie ducem in Regem atque successorem eligerent. Hunc secuti sunt tres Ottones non quidem solâ sanguinis successione sed etiam Principum Francorum ac Germanorum (ita enim distinguit Naclerus) consensu atque auctoritate. Confirmat id ipsum Christophor. Lehm. *lib. 5. c. 17.* communi historicorum calculo, V Vitikindi nimirum, Dithmari, Ottonis Frisingensis, & continuatoris Rheginonis historia, qui omnes istorum imperatorum temporibus floruerunt, verba autem omnia huc prolixitatis vitandæ ergo describere nolui.

XVI. Ot-

Ottonis III. ejusque successorum temporibus idem legitur observatum, imo ejus sub Imperio publica quadam Imperij sanctione paucis iisque præcipuis Imperij proceribus jus electionis fuisse delatum, plerique rerum Germanicarum scriptores asserunt; quid veritatis subsit brevi post videbimus. Illud saltem inde nobis innotescit, & huic Imperatori Imperium communi procerum electione obtigisse; nec tantum huic verum etiam Conrado Saliquo, testante VVippone historico ejusdem Imperatoris tum temporis consiliario, Henrico Nigro Conradi filio, narrante Hermanno Contracto, Henrico IV. ut prodit historia Saxonica incerti auctoris: Henrico V. Conrado III. & Friderico I. testante Ottone Frising. lib. I. de gest. Frideric. I. altera parte Chronica Augustensis sub initium. Henrico VI. Goldast. tom. 1. *Constit. Imp.* p. 286. Et sic Imperium nostrum Romano Germanicum à prima ejus constitutione non hereditarium sed electivum fuisse exemplis & communi historicorum consensu ostendisse sufficiat. Nunc de substantiali electionis forma.

XVII.

Formam autem electionis substantialem dicimus illam, qua sine electio nec fieri potest, & si facta, nulla omnino sit atque illegitima. Extra omne autem dubium est in omni Republica, cujus tandem generis illa sit, imperantis constitutionem civibus tantummodo illius Reipubl. competere. Et hanc esse veri civis præcipuam notam ab Aristot. lib. 3. *Polit. c. 1.* pluribus demonstratur. Hujus autem juris seu dignitatis omnes licet cives participes non nunquam sint & magistratum electionibus interesse soleant, sæpius tamen accidit, ut pro aliâ atque aliâ ratione hujus vel illius status atque Regiminis penes paucos ea potestas constituta sit. Illud Democratici, hoc vero Oligarchici atque Aristocratici Regiminis indicium esse solet. Qua de re pluribus agit Aristot. lib. 4. *Polit. per tot.*

Ex Romanâ historiâ apparet primorum Caesarum electiones certis legibus non fuisse determinatas. Quam plurimis ista dignitas fuit hæreditaria, plerisque à militibus in castris, paucissimis communi totius populi suffragio delata fuit. Patria autem monumenta antiquissima, & rerum Francicarum scriptores produnt, electiones istas ab universo populo, proceribus atque omnis Regni primatibus consentientibus esse peractas. Tacit. lib. de Morib. Germ. pluribus id ipsum exemplis confirmat, quæ brevitatis studio tacitus nunc prætereo. De Pharamundo autem primo Francorum Rege Trith. in comp. Annal. ex Hunibaldo: *Post obitum, ait, ducis Genebaldi convenientes in unum proceres & maiores natu Francorum, consilium habuerunt inter se maturum utile indicantes, ut more veterum sibi Reges constituerent ex ducibus unum: & bonus est visus sermo in Oculis omnium Tandem de unanimitate consensu Pharamundum Ducem Orientalis Francia apud Würzburg in Regem Francorum sibi elegerunt.* Idem in Electione Sigeberti, Dagoberti, Pipini, Carolomanni Regum fuisse observatum testatur Christoph. Lehn. in Chron. Spirensi lib. 2. c. 2. De Carolo Magno ita Eginhardus in vita, *Carolus autem fratre defuncto consensu omnium Francorum Rex constituitur.* Theganus Chorepiscopus Trevirens. de gestis Ludovici Imperatoris c. 6. *Imperator quum intellexisset, ait, appropinquare sibi diem obitus sui, vocavit filium Ludovicum ad se cum omni exercitu Episcopis, Abbatibus, Ducibus, comitibus loco positus, habuit grande colloquium cum eis Aquisgrani in Palatio pacificè & honestè admonens, ut fidem erga filium ostenderent, interrogans omnes à maximo usq; ad minimum si eis placuisset ut nomen suum, id est, Imperatoris titulum filio suo Ludovico tradidisset, Illi omnes responderunt, &c.* Vbi obiter observandum tum quoque temporis Ecclesiasticum ordinem Episcopos nimirum & Abbates ejusmodi electionis actui interfuisse.

XIX.

De electione Ottonis I. ita scribit VVitichindus. *Henricus I.* (qui similiter testante Lupoldo de Bapenberg. ab omnibus

in omnibus Principibus in Regem fuit electus) cum se iam gravari morbo sensisset, convocato omni populo designavit filium suum Ottonem Regem. Et in initio lib. 2. Defuncto itaq; patre patria & Regnum maximo optimo Henrico, omnis populus Francorum atq; Saxonum iam olim designatum regem à patre, filium eius Ottonem elegit sibi in Principem. Quamvis autem electionis forma talis qualem diximus à prima inde Imperij Germanici constitutione fuerit observata, haud constat tamen, utrum pragmatica quadam sanctione initio descripta atque definita fuerit. Nos juris saltem consuetudinarij fuisse existimamus & nobiscum facit Christoph. Lehm. *supr. cit. loco.*

XX.

Ottonis demum tertij tempore certum Electorum numerum publicâ quadam Imperij lege esse constitutum, quam plurimi haud exiguæ fidei atque eruditionis viri opinantur, quorum catalogum olim nobis exhibuit Simon Schardius Iurifcons. & Camerae Imperialis assessor, in lib. cui titulum dedit de Principum quibus electio Imperatoris in Germania commendata est, origine seu institutione. Gerlacus item Buxdorffius *in diss. ad cap. 1. Aur. bulle th. 14.* Michael Schiffererus *in diss. de Orig. & Potest. Elect. th. 4.* Nituntur plerique scriptores fide constitutionis, quæ extat apud Gold. *tom. 3. Const. Imp. p. 371.* & ex eodem citata à Limn. *tom. 1. Iur. pub. lib. 3. c. 1.* Verum eam supposititiam esse, primo inde patet quod præcipiat, ne Imperium amplius hæreditarium sed electitium esset, cum tamen à prima Francicæ Imperij ætate semper electione ab uno in alium fuerit devolutum; tum quod mentionem faciat Regis Bohemiæ, qui tamen titulus tum temporis in Germanicò Imperio erat incognitus, & primum Friderici I. temporibus, ut in sequentibus apparebit, innotuit. Sunt qui totius Electoralis collegij institutionem Ottoni I V. Henrici Leonis filio adscribunt, cujus autoritate factum in Comitibus Francofurdianis decretum eâ de re laudant & producunt Reusnerus *in Enucleat. quest. hist. cap. 7. versu horum tamen fol. 91.* Reinhard König *in theat. Polit. p. 1. c. 3. u. 30.* Sethus Calvisius *in Chron. Ann. 998.*

Rume-

Rumelin. ad Aur. Bull. *diff. 8. th. 7.* Sed pace, inquit Goldastus illorum liceat fateri quod res est. Imposuerat mihi Marquardus Freherus, qui illud sua manu exscriptam sub nomine Ottonis IV. ad me transmisit; ego porro aliis publicando & in constitutiones Imperiales referendo, sine dolo tamen & fraude: comperi enim postea illud decretum non esse Ottonis IV. sed à Ioanne Baptista Egnatio in vita Ottonis IV. confictum, probabilius quidem iuxta veterum traditionem quam verius.

XXI.

Quanam vero inter tot discrepantes doctorum opiniones probabilior sit, non ita facile determinari potest. Illud ex illius sæculi historiâ dilucidè probari potest, post Ottonis tertij tempora nondum desuisse Imperatores eligi in comitiis communi omnium procerum suffragiò, nec jus eligendi septemviris istis, quorum antea memorata constitutio mentionem facit, fuisse concessum. Conradum I. Salicum dictum ab universo populo & Principibus non præcipuè ad hoc electis septemviris in Imperatorem electum, testatur VVippo historicus cujus verba licet prolixa sint, ut tamen appareat statim post excessum Ottonis III. sæpius memoratæ constitutionis nullam rationem esse habitam, huc mihi describere placuit: *Consedere Principes, inquit, populus frequentissimus adstabat, Archiepiscopus Moguntinensis, cuius sententia ante alios accipienda fuit, rogatus à populo, quid sibi videretur, abundantè corde, voce hilari laudavit & elegit maioris ætatis Cunonem suum in Dominum & Regem atq; Rectorem & defensorem patriæ. Hanc sententiam ceteri Archiepiscopi & Reliqui sacrorum ordinum viri indubitanter sequebantur, tunc singuli de singulis Regnis eadem verba electionis sæpissimè repetebant. Fit clamor populi Omnes unanimiter in Regiâ electione principibus consentiebant, in illo persistebant, ipsum cunctis dominantibus nihil hesitando proposuerunt. Idem in electione Henrici III. & Henrici IV. contigisse pluribus narrat Hermannus Contract. & Historia belli Saxonici à Brunone conscripta. De Henrico V. ita loquitur Otto Frisingens. lib. 1. de gest. Frider. I. Igitur Albertus Episcopus Moguntinensis principes Regni in ciuitate*

te Me-

te Moguntina tempore autumnali convocat ipse Lotharium Ducem
Saxonum in Regem cunctis, qui aderant, principibus persuasit. De
Lothario Saxone consulatur Otto Frisingens. lib. 1. c. 22. de
gestis Frider. Electionem itidem Friderici I. Imperatoris eun-
dem in modum à Proceribus ac populo (hoc est consulibus
ac civitatum iudicibus interprete Radevvicò lib. 2. de gest.
Frider. c. 1. & 3.) esse peractam, memoriæ prodidit Otto Fri-
sing. cit. lib. 1. c. 1. De Electione Ottonis IV. apud Goldast.
tom. 1. Const. Imp. p. 288. ejusmodi reperitur constitutio. Nos au-
tem Principes qui dictū Dominum (Ottonem IV.) in Regem eligimus,
feuda nostra qua ab Imperio tenemus à manu ipsius recipientes, homi-
nium sibi fecimus, & fidelitatem iuravimus. Ex hujus diplomatis
subscriptione non septem viros solos, sed principes Abba-
tes & Comites Electionis actui interfuisse manifestò appa-
ret. Temporibus Henrici IV. notandum ex Godefrido Mo-
nachò S. Panthaleonis, quando ait:

Nos quibus est melior libertas, jure vetustò

Orba suo quoties vacat inclyta principe sedes,

Quodlibet arbitrium statuendi Reges habemus.

Et apud Gold. tom. 1. constit. Imp. p. 286. de eodem Imperato-
re hæc leguntur verba. Constitutioni igitur huic profutura con-
sentit Curia Romana, & Principes LII. qui Imperatorem eligere
consueverunt. Ita Fridericum II. etiam communi procerum
consensu esse electum legimus in Ottone de S. Blasio c. 46.
& Gothofredò Monachò.

XXII.

Post hujus Imperatoris tempora septenarium hunc
Electorum numerum fuisse institutum, vel certè illam Im-
perij constitutionem, quemcunq; etiam autorem habeat,
plenissimè in usum atque observantiam deductam esse, ex
Alberti Stadenfis & Speculi Saxonici testimonio probari
posse videtur. Sic enim loquitur Abbas ille Stadenfis: Ex
prætatione principum & consensu eligunt imperatorem, Treviren-
sis, Moguntinus & Coloniensis & de secularibus Palatinus eligit, quia
dapifer est, Dux Saxonis quia Marschallus, & Marggravius de
C Bran-

Brandenburg quia Camererius, Rex Bohemia quia Pincerna est non
eligit quia non est Teutonicus. Verba Speculi Saxonici ita se-
se habent. An des Kayfers Wahl sol der erste sein der Bischoff
von Mainz/ der ander der Bischoff von Trier/ vnd der dritte der
Bischoff von Cölln/ vnter den Erenfürsten/ so ist der erste an der
Wahl der Pfalzgrafe bey dem Keyn des Reichs Truchses / der an-
der der Herzog von Sachsen des Reichs Marschalck / der dritte der
Marckgraff von Brandenburg / des Reichs Cämmerer / der vier-
de der Schenck des Reichs / das ist der König von Böhmen / der
hat keine Wahl / darumb daß er nicht Teutsch ist. Accedit etiam
ex recentioribus Baronij hæc de controversiâ iudicium,
qui neminem inficias ire posse existimat post Ottonis III.
Imperatoris obitum ducentis & amplius annis, quotquot
electi fuerunt Romanorum Reges, eosdem non septem-
duntaxat Electorum, sed omnium Principum Germano-
rum qui ad Comitata convenissent suffragiis fuisse ad Re-
gium culmen euectos. Ioannes Stabius D. Maximiliani
Cæsaris mathematicus & historicus vir longè eruditissi-
mus, & Comes Nuenarius unâ cum Iacobo Spigelio Sele-
stadiensi longè post Institutionem Electorum inductam
esse arbitrantur. Cui etiam Aventinus rerum antiqua-
rum indagator sagacissimus *lib. 5. Ann. fol. 505.* ad stipulari vi-
detur. Post Aventini Annales editos Onuphrius Panvinus,
ut hujus rei veritatem eruere, proprium librum de comi-
tibus Imperatoriis scribendum suscepit. In quo primùm ra-
tionibus in medium adductis receptam de institutione Ele-
ctorum sententiam revellere, deinde veterum gravissimo-
rum autorum testimoniis hinc inde cumulatis ostendere
nititur, eandem à temporibus Ottonis III. usque ad tem-
pora Friderici II. fuisse Cæsaris creandi formam, quæ ante
ipsum ab obitu usque Ludovici IV. filij Imperatoris Arnul-
phi servata fuisset, nimirum ut Rex Germaniæ vel impera-
tor ab omnibus saltem Regni Germanici Principibus tam
Ecclesiasticis quam secularibus eligeretur.

XXXIII.

Quapropter nobis admodum verisimile est, sæpius an-
te me-

te memoratam constitutionem Ottonis III. omnino esse
fictitiam: & parum nobis probatur illorum conjectura, qui
putant illam factam quidem esse etiam ante Friderici I. Im-
peratoris tempora, in usum tamen plenè reduci non potu-
isse, renitentibus nimirum Principibus ordinariis Electori-
bus, ideoque illius mentionem non fecisse plerosque scri-
ptores, sed eos tantum, qui vel sub Friderico II. vel post ejus
obitum scripserunt. Verum quid conjecturis opus est, ubi
nobis aliàs de veritate constare potest: neque enim ita ma-
gni momenti illorum sunt argumenta, quibus memorata
quorundam conjectura inniti videtur, historicà certè fide
omnino destituitur. Illud certissimum est atque indubita-
tum, post Friderici II. tempora jus eligendorum Impera-
torum septemviris tantum fuisse communicatum. An au-
tem tum temporis publica quædam hac de re Imperij san-
ctio accesserit, non equidem facile dixerim, hætenus enim
in nullo istius ævi scriptore ejusmodi quid sese mihi obtu-
lit. Quapropter in mediò hoc relinquere cogimur.

XXIV.

Illud dubitationis nonnihil habet, quod historia Au-
gustensis in Anno 1257. & Steron. in Chron. suo, electio-
nem Richardi & Rudolphi I. Imperatorum non à septem-
viris, sed omnibus Imperij Principibus ac Proceribus fa-
ctam asserit. Sciendum tamen est, ob perpetua illa bella &
intestinos motus, quibus per viginti ferme annos Imperi-
um tum temporis miserè concutiebatur, novæ istius non
ita pridem in imperio comprobatae consuetudinis nullam
rationem fuisse habitam; sed parum fortassis Status impe-
rij interesse existimarunt, pauci an plures dictorum Impe-
ratorum electioni interessent, salus enim Reipubl. inter-
regni illius tempore admodum periclitabatur, nec legiti-
mò ac certò quodam magistratu, nisi magnò cum Reipubl.
detrimentò & extrema ruina diutius carere poterat.

XXV.

Carolus demum IV. piissimæ memoriæ Imperator
Anno 1356. in solenni curiâ Noribergensi novâ quadam
pra-

pragmatica sanctione in Imperio receptam olim consuetudinem, & septenarium Electorum numerum communi procerum consensu, addita Caesarea autoritate, confirmavit, certamque electionis formam esse voluit, prout ex tit. I. II. & III. Aureae Bullae pluribus cognosci potest.

XXVI.

Præcipua requisita, quæ vel præcedunt vel concomitantur vel sequuntur electionis actum, sunt I. Tempus. II. Intimatio. III. Locus. IV. Iuramentum. V. Ordo fessionis, & votorum Electoralium. Tempus electioni præstitutum est mors Imperatoris naturalis, Imperij spontanea abdicatio, cui optimâ ratione Imperij abrogatio adjungitur. An autem superstite etiamnum Imperatore Electio ab Electoribus legitime institui possit, diversæ sunt diversorum opiniones. Ante tempora hujus constitutionis id ipsum sæpe contigisse, ex ante dictis satis apparet. Illâ promulgatâ, historia nobis exemplum Venceslai, Ferdinandi I. Rudolphi II. & Ferdinandi III. Imperatorum suppeditat, qui viventibus adhuc antecessoribus in Reges Romanorum sunt electi. Et quamvis in ipsis constitutionis verbis directo non constituarur, pleraque etiam exempla contrariam hactenus consuetudinem introduxerint, nobis tamen persuasissimum habemus, verba legis sine ullâ injuriâ ejusmodi interpretationem optimè tolerare posse, quæ ita habent, *Wie oft und wann es zu fünffzig Jahren noth sein oder sich begeben würde / zu erwählen einen Römischen König / zum Kayser zu machen*; hæc autem indefinita & generalia verba ad casum mortis tantum, aut depositionis Imperatoris restringere, nihil est quod nos movere possit. Videatur hac de quaestione Buxtorffius *in dissert. ad auream Bull. c. 1. th. 12.* Petr. Heig. *p. 1. q. 6. n. 21.* Befold. *diss. 3. de Regiâ successionē.* Arumæus item & Rumelinus *in disput. 1. & 2. ad Aur. Bul.*

XXVII.

Intimatio electionis intra mensem à die notitiæ mortis Imperatoris fieri debet, ut videlicet intra tres menses Electores Francofurti compareant, aut legatos cum sufficienti

cienti mandato statuto tempore mittant. *tit. 1. §. Præterea.*
Sessio Electorum quò ordine fieri, vota etiam rogari, colli-
gi ac numerari debeant *tit. II. & III.* declarat. Iuramenti
præstatio ipsum electionis actum præcedit, cujus formam
ac modum nobis similiter explicat *Aur. Bull. tit. II. §. 1.* Lo-
ci præcisa adeò necessitas non est, nec de actus substantia
esse videtur, tum quod actus à principe factus non possit
ratione defectus formæ vel solennitatis, maxime levis mo-
menti, & juris positivi invalidari; tum quod *Peucerus lib.*
5. Ruperti Electionem Bopardiæ peractam refert. Et quo-
niam idem nostris etiam temporibus scimus contigisse, du-
bium non est, quin ista solennia alio quovis commodò lo-
co celebrari possint. Religio tamen sit Electoribus temere,
& sine prægnanti causa publicæ huic sanctioni quicquam
derogare. Et hæc sunt præcipua Electionis requisita; con-
sequens est, ut de ejusdem effectu discursum nostrum per-
sequamur.

XXIX.

Electio igitur legitimè facta, electo statim summam
majestatem, atque Imperij jura confert, neq; hic ullâ Papa-
li confirmatione vel consecratione opus est. Et frustra sunt
illi, qui Pontifici quicquam juris evincere hæcenus labora-
runt. Multis autem motibus, ut notum est, hæc inter Im-
peratores olim, & Romanos Pontifices acerrimè agitata
controversia occasionem præbuit, nec dubium est, quin, si
Pontifices ex votò & sententiâ conatus effectui dare potu-
issent, magnum inde Imperio præjudicium fuisset ena-
tum, libertas atque omnis Imperij majestas periisset, opti-
mumque atq; certissimum medium Pontificiæ majestatis in
secularibus firmandæ atque stabiliendæ fuisset. Quidam ex
Imperatoribus his Pontificiorum conatibus fortiter resti-
terunt, plerique tamen vanò quodam excommunicationis
metu territi, vel superstitiosâ quadam Pontificiæ sedis ve-
neratione moti, hanc sibi confirmationis necessitatem
persuaderi passi sunt. Altius rem non nihil reputantibus ex
patriâ historiâ notum est, Romanam Pontificiam sedem à

prima inde ejus origine, usque ad Gregorium VII. per mille ferme & septuaginta annos, tantò conatu & tantà impudentiâ tantam & tam directam potestatem in temporalibus nunquam sibi vidicasse.

XXIX.

Quod si etiam Primam Patriarchalis dignitatis occasionem, finemque cujus, gratiâ iste ordo in Ecclesiam primitus introductus sit, intueamur; in proclivi cuivis erit judicare, quantum in abusum temporis successu optimum hoc Ecclesiæ institutum magis magisque degeneraverit. In temporalibus hujus ordinis, si quâ est potestas, exigua semper fuit & arctis limitibus circumscripta; utrum autem circa hunc confirmationis seu consecrationis actum, ejus nonnullæ partes, & quidem eò, quò Pontifices secutis temporibus modò voluerunt, fuerint, haud equidem facile dixerim. Illud ex historiis constat, Orientis atque Occidentis Imperij Reges atque Imperatores consecrationem & benedictionem à Metropolitano & maximò Regni seu Regionis Episcopò accepisse. Sic Constantinopolitanus iis, qui Orientali, Romanus verò his, qui Occidentali Imperio præerant, consecrationem atque benedictionem contulerunt. Idque spirituali quadam autoritate in devotionis atque pietatis signum, ut videlicet felicibus auspiciis Regna & Imperia cum benedictione sacerdotali susciperentur. Quod autem externa hæc ceremonia magistratui vel Regi legitime electo ita necessaria fuerit, ut eâ non adhibitâ nullam omninò potestatem exercere potuerit, illud sanè rectæ rationi atque primævo Ecclesiæ instituto omninò repugnat. Nec Imperatores nostri Romano Germanici, quod equidem sciam, huic externæ ceremoniæ majorem, quam antea diximus, effectum unquam tribuerunt. A Pontificibus sæpius peractas hujusmodi consecrationes & benedictiones diffiteri nequeo; Certum enim est, & communis historiarum consensus demonstrat, non tantum Carolum M. post acclamationes S. P. Q. R. factas, à Leone III. inunctum esse, atque coronatum; sed etiam plerosque ejus successores, Ludovicum
vide-

videlicet I. à Stephano, Carolum II. à Ioanne II X. Ottonem I. à Ioanne XII. Pontificibus consecrationem accepisse. Notandum autem existimamus, quod scribit M. Anton. de Domin. lib. VI. de Republ. Eccles. c. 11. quicquid Imperatores hac parte Pontificibus obsequij præstiterunt, partim ex urbanitate, partim ex adulatione erga Papam à Principibus atque Imperatoribus Papali aliquâ ope indigentibus esse profectum. Sic nemo, ait, miretur Carolum Calvum qui fraude & malis artibus fratri Ludovico in Imperii successione potior esse laborabat, Romam properasse, & coronam de manu Pontificis magnis precibus atq; obsecratione extorsisse. Sola enim illa ceremonia si legitimè electo, ut dictum est, accedebat, conferebat nomen & titulum Imperatoris.

XXX.

Atque hos intra limites Pontifices per plurima secula sese continuere. Postquam autem potentia eorum atq; impudentia in immensum aucta, ita ut non tantum huic ceremoniæ novam quandam, atq; inauditam tribuerent efficaciam; sed & potestatem sibi constituendorum atque deponendorum Regum atq; Imperatorum pro lubitu arrogarent; pleriq; Germaniæ Imperatores has Pontificum consecrationes quasi inutiles omnino neglexerunt; Quâ de causâ Pontifex Ioan. XXII. Ludovicum IV. excommunicavit, quod ante acceptam à sese consecrationem, & confirmationem Imperij jura exercuisset, & factæ citationi parere noluerit. Ipse autem Imperator hoc excommunicationis telum magnò animò excepit & publicò quodam edicto (quod apud Gold. tom. I. Constit. Imp. pag. 336. exstat) vanum atq; irritum declaravit. Fridericus I. Imperator inter alia literis Adriani Pontificis aliquando ita respondit: *Liberam Imperii nostri coronam divino tantum beneficio ascribimus, Electionis primam vocem Moguntino Archiepiscopo, deinde quod superest cæteris, secundum ordinem Principibus recognoscimus, Regalem inunctionem Coloniensi, Supremam verò quæ Imperialis est Summo Pontifici. Quicquid præter hæc, ex abundanti est, à malo est.* Radev. in Frid. lib. 1. c. 10. Epistola verò Pontificis habetur cap. 8. Et Goldast. tom. 3.

Con-

Constit. Imper. p. 353. edit rescriptum ejusdem Imperatoris de Jure Imp. in urbem Romam, in quo Imperator ita Pontificem alloquitur; *Gloriaris, me per te vocatum esse, me per te primò civem, post principem factum, quod tuum erat à te suscepisse. Quæ dicti novitas, quàm ratione absõna, quàm veritate vacua sit, æstimationi tuæ prudentumq; relinquatur arbitrio. Legitimus possessor sum, eripiat quis, si potest, clavam de manu Herculis.* Apud eundem Goldast. *rom. 3. constit. Imp. p. 264.* simile edictum reperitur de jure atque dignitate Imperatoris atque Ecclesiæ in quo illa verba optimè huc quadrant: *Cum per electionem Principum à solo Deo Regnum atq; Imperium nostrum sit, quicumq; nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dixerit, divina institutioni & Doctrinæ Petri contrarius est, & mendacii reus erit.* Nauci denique habemus Innocent. III. *cap. venerabilem ext. de Electione,* præterquam enim quod cap. illud in Imperio instar legis publicæ nunquam receptum sit, in historiis etiam ne minimã quidem ejus capituli mentionem fieri vidi; spurium illud existimo atq; supposititium. Autores, qui de nobili hæc controversiã scripserunt, sunt quàm plurimi, *Marc. Ant. de Domin. lib. 6. c. 11. Thom. Michael de iurisd. concl. 3. Arum. discurs. Acad. ad Auream Bull. th. 20. 21. Sixtinus de Regal. lib. 1. c. 4. n. 13.* qui inter alia præclarum Caroli V. Imp. exemplum narrat, quod in conventu inter ipsum, & Franciscum Regem contigit. Rudolphi item I. Alberti, Maximiliani I. & II. Rudolphi II. Matthiæ, & Ferdinandi II. *Paurm. lib. 2. p. 1. cap. 1. pag. 126. Molin. in cons. Paris. in præfat. n. 73.* & alij quamplures. Et tantum de Imperatoris electione, electionis formã, & effectu, aliisque inde enatis quæstionibus dixisse sufficiat. Nunc de summâ Imperatoris potestate.

XXXII.

Summam autem potestatem in genere cum Hugone Grotio *lib. 1. cap. 3. n. 7.* dicimus illam, cuius actus alterius iuri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humano arbitrio irriti reddi possint. Utitur autem absolutâ illâ potestate, qui summum atque absolutum in civitate imperium exercet, neque jura majestatis propriè ita dicta cum quoquam communicata habet.

habet. Idem Prorsus innuit Aristoteles quando *lib. 3 Polit.*
c. 5. Rempubl. ordinem quendam civitatis definit cum in
aliis magistratibus tum in iis maximè, qui omnium prin-
ceps est: hoc est, penes quem omnia jura majestatis absolu-
tè constituta sunt, cujusque actus à nullius dependent arbi-
trio atque voluntate: quæ cum suprâ positâ Hugonis Gro-
tij definitione coincidit.

XXIII.

Præter illam autem summæ potestatis seu majestatis
definitionem, cautiones quasdam ex Hugone Grotio *cit.*
loco, observandas esse existimamus, quæ nimirum viam no-
bis monstrare possint, ad rectè dijudicandum, cui jus sum-
mæ potestatis in gente quaque competat. Falsum enim est
omnem, qui imperat, quiq; Magistratus, Monarchæ, Regis,
Principis, sive Domini titulum atque nomen gerit, summam
quoq; atq; absolutam potestatem esse præditum. Quin imò sæ-
pius quis sine hujusmodi specioso titulò absolutam & indefi-
nitam pollet potestate. Prima igitur cautio ex Hugonis Gro-
tij opinione hæc sit, ne decipiamur ambiguo nominis sonò
aut rerum externarum specie. *ii.* Aliud esse de re quærere,
aliud de habendi modo, quod non in corporalibus tantum,
sed & in incorporalibus locum habere idem statuit. *iii.*
Non definire summum esse imperium, etiamsi is, qui im-
peraturus est, promittat aliqua subditis, aut Deo, etiam ta-
lia, quæ ad Imperij rationem pertineant; quod tamen pro-
cul dubio intelligendum est de iis, quæ rex aut princeps
promittit ad tempus tantum valitura & quamdiu ipse velit.
Singulæ hæc cautiones exemplis ab ipso illustrantur, quæ sæ-
nè consideratione sunt dignissima.

XXIV.

Porro sciendum etiam est, quamvis nostri juris inter-
pretes Majestatem statuunt individuanam, & Dion. *lib. 57.*
Rempubl. non posse dividi asserat; id universaliter non esse
verum, quasdam pati notabiles exceptiones, & cum grano
saris, ut dicitur, accipiendum. Hoc quidem extra omnem
controversiam est, summum Imperium unum quiddam

D

esse,

esse, ac per se indivisum, nec jura majestatis separari ab eo qui summam potestatem habeat, unquam posse; Fieri tamen potest, ut jura ad majestatem pertinentia disjungantur, diversa diversis statibus attribuantur, atq; communificentur, quæ conjuncta & copulata vel in unum sumpta, faciunt demum summam & perfectam potestatem. Hinc Henning. Arnif. lib. 2. de iure Maiest. c. 1. n. 1. Nihil prohibet, inquit, quin pares in hoc toto unitæ secerni & divisim inter plures distribui possint. Alia enim potestas est creare magistratus, alia ferre leges, alia ducere bellum, alia rationem habere erarii, quæ qui confundere inter se & inseparabilia facere velit, idem officia ædilium, Consulium, Censorum, Pretorum unâ commisceat, quæ & ipsa in Maiestate unita, inter Magistratus diversa sunt. Eiusdem sententiæ est Michael Piccartus in comm. ad Politicam Aristotelis lib. 5. c. 9. ubi contra Bodinum mixtionem Rerum publ. oppugnantem pluribus disputat, Et Dn. Iacobus Lampadius in tract. suo de Repub. Germ. p. 3. c. 2. Quænam autem & quot jura Majestatis sint, Henning. Arnif. lib. 2. de iur. Maiestat. c. 1. & seqq. accuratissimè demonstrat. Nos brevitatis ergo omittimus.

XXXV.

Quid autem his præsuppositis de nostro Imperio Romano-Germanico statuendum sit, & an Imperator jura majestatis indivisa, nec cum proceribus ullâ ratione communicata habeat, adeoq; purus atq; absolutus Monarcha dicendus sit, non ita facile definiri potest. Sciendum autem est & rectè observatum Aristoteli lib. 4. pol. c. 14. tria potissimum esse in quibus maximè venietur Reipubl. forma; Consultatio videlicet de summâ Reipubl., Electio Magistratum, & demum Jurisdictio, seu id quod ad universum judiciorum ordinem pertinet. Summam autem Reipubl. spectant illæ deliberationes, quæ de pace, bello, legibus ferendis, & abrogandis, fœderibus, vectigalibus, & reliquis majestatis juribus instituuntur. His interfunt vel omnes Reipubl. cives, vel pauci, iique optimates, vel deniq; ex unius tantum arbitrio atq; voluntate unicè dependent, ita ut unus iste de hisce negotiis inconsultis cæteris liberrimam statu-

statuendi potestatem habeat. Primum Democratiam, alterum Aristocratiam seu Oligarchiam, tertium puram & absolutam Monarchiam demonstrat.

XXXVI.

Nostrum Imperium Romano-Germanicum à prima inde ejus constitutione regie esse administratum extra controversiam ponimus, & ex superioribus abunde constat. Regibus autem istis libera atque absoluta omnino potestas nunquam fuit, sed limitata, & certis legibus circumscripta. Magnum enim Germanicæ gentis libertatis studium semper fuit, eaque nihil habuerunt aut potius, aut antiquius. Cornel. Tacit. lib. de Morib. German. *Infinita*, ait, *aut libera Regibus potestas non fuit; quin in concilio aucti, autoritate suadendi potius, quam jubendi potestate.* Alibi Gothones, inquit, paulo regnantur addictius, quam cetera Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Idem lib. 3. *Annal.* de duobus Frisorum Regibus faciens verba subdit, *In quantum Germani regnantur.* Franci præcipuus ac potentissimus postmodum Germaniæ populus, quam plurimi semper libertatem fecerint & quanto cum studio eam per plurima sæcula inviolatam conservarint, quivis confitebitur, cui aliqua saltem ex parte istius gentis historia cognita est, quam Christoph. Lehn. in *Chron. Spirens.* tribus integris libris erudite & insigni cum prudentiâ descripsit.

XXXVII.

Carolus Magnus (de antecessoribus enim consulatur Christophorus Lehn. supra citat. libb.) statim atque in Imperatorem fuit electus, juramentum Regni proceribus præstitit, cujus hæc præcipua capita fuerunt. I. Operam se daturum pollicitus est, ne dignitas Principum quicquam detrimenti caperet. II. Juravit se nemini statuum Imperij indictâ causâ sed consentientibus proceribus imperium abrogaturum. III. Se curam legum, statutorumque cujuscunque regionis habiturum &c. Christoph. Lehn. lib. 2. c. 4. Idem sæpius primores ac Regni proceres, *Prudentiores Regni, Patres, fratres, amicos, fautores & coadjutores gloria & Regni sui*

ni sui appellat. Ludovicus Pius in capit. l. 2. c. 2. ita loquitur. *Quanquam summa huius ministerii in nostra persona consistere videatur, tamen & divinam auctoritatem & humanam gubernationem in partes divisum esse cognoscitur, ut unusquisque vestrum in suo loco & ordine partem nostri Imperii habere cognoscatur. Unde apparet quod ego omnium vestrum admonitor esse debeo, & vos omnes nostri adiutores esse debetis. Quod si Regi aliquando visum fuit novas condere leges, veteres vel omnino abrogare, vel saltem iis derogare, id ipsum non propria auctoritate; sed in comitiis consensu & consilio procerum facere coactus fuit. Declarat hoc exordium Legum Alemannicarum, quod ita se habet: *Lex Alemannorum, qua temporibus Lotharii Regis cum Principibus suis, id est 33. Episcopis 34. Ducibus 72. Comitibus vel cetero populo constituta est. Et in fine eiusdem: Hoc decretum est apud Regem, & apud Principes eius, & apud cunctum populum Christianorum, qui infra Regnum Merovingorum consistunt. Et longum nimis foret omnia hoc loco exempla cumulare; peti possunt ex capitulis Francorum, & Christoph. Lehm. in Chronic. Spir. lib. 2. c. 39.**

XXXIIX.

Extincta Carolinâ stirpe, Saxonici primum ceterique Imperatores maiorem, quam quâ Francorum Reges præditi erant, potestatem non habuerunt. Neque enim tum temporis Germani libertatis cupiditatem deposuerunt; nec mihi quispiam aliam atque diversam Regiminis formam postmodum invaluisse facile est historiis poterit demonstrare. Omnes leges quæ quidem ipsam spectabant Regiminis formam, non solius Imperatoris, sed omnium procerum auctoritate atque applausu sunt conditæ: Sic bella decreta, sic fœdera sancita, & cætera in quibus iura maiestatis potissimum consistunt. Exempla eius rei quam plurima nobis proponit Gold. in tom. suis Constit. Imper. Latinarum Francofurt. paucos ante annos editarum. Caroli IV. sub Imperio publica Imperij sanctio Aurea Bulla prodiit, in gemeiner Versammlung und Gegenwart aller Geistlichen und Weltlichen Churfürsten, auch anderer Fürsten, Grafen /

sen /

fen/Freyherren/Edlen/und mannigfaltigen der Städte Botschaf-
ten; communicatō videlicet consiliō, & aquali Impera-
toris atque procerum statuendi facultate. Quam suffra-
gandi atque statuendi potestatem secutis etiam tempori-
bus proceres salvam sibi conservasse, non tantum verosi-
mile admodum est, sed etiam ex historia contrarium dif-
ficillimè demonstrari poterit.

XXXIX.

Porro si soli imperatori summa atq; absoluta in im-
perio potestas competit, necessariò concedendum quo-
que est, eundem eò quo thesi 32. diximus modò absolute
omnia majestatis jura pro lubitu, exclusis atque inconsul-
tis omnibus imperij proceribus, exercere posse. Verum
hoc tum publicis imperij constitutionibus, tum consuetu-
dini manifestè repugnat. Quæ enim publicorum Comiti-
orum foret necessitas, si penes imperatorem absoluta
statuendi potestas esset sita, & in ipsius aulâ de tota rei-
publ. summa decerni posset? Haud exiguam autem in co-
mitiis istis statuum potestatem esse, & quanta illa sit, D. Ia-
cob. Lamp. *in sep. cit. tract. part. 3. c. 8. n. 7.* præclare de-
clarat his verbis: *Propterea autem fit, ait, classium divisio,*
quia curiatim, non viritim in comitiis videlicet imperii suffragia se-
runtur, ut puta si due classes vel quarumlibet pars maior conveniant.
Quantum quidem est in ordinibus, res est confecta, ac veluti com-
mune consultum Cesari refertur, cui si idem placet, fit decretum, sin-
minus, hinc & inde replicant, duplicant adductis sue sententiæ ratio-
nibus, donec alterutra pars in alterius sententia acquiescat, ac Cesar
& ordines in constitutionem conventionem conspirent, si convenire ne-
quiverint, neque Cesar ex plenitudine, ut dicunt, Potestatis quicquam
potest statuere, neque ordinum sententia legis habet vigorem. Unde
patet omnes imperij proceres collectivè sumtos in publi-
cis ejusmodi deliberationibus tantum valere quantum i-
psum imperatorem. Quod sanè haud exiguum limitata imperatoris
potestatis argumentum esse potest. Quò etiam
sine Electores olim Carolo V. ejusq; postmodum successo-
ribus certas leges certumq; imperij modum (quem Capitu-
lationem

ationem solemus appellare) præscripserunt, nisi quod limitatam illorum potestatem esse voluerunt? Cui denique accedit etiam hoc quod status imperij præter vota atq; suffragia, omnia imperij decreta atq; recessus suâ subscriptione confirmare, atq; corroborare soleant, quâ sanè solennitate opus non esset, nisi etiam in ferendis legibus ipsorum voluntas, tum autoritas foret necessaria. Et tantum de summò reipubl. Germaniæ capite, ejusdemq; summâ potestate generaliter pro instituti ratione dixisse sufficiat.

XI.

Quoniam autem, ut supra thesi 3. ostendimus, imperium nostrum Romano Germanicum magna quædam civitas est, omnis autem civitas magna quædam civium societas sit, proximum nunc est de singulis imperij civibus, eorum dignitate, potestate, ordine paucis disseramus. Civem autem Aristoteles *lib. 3. pol. c. 1.* Primò ac propriè nullâ re aliâ magis definit, quàm *participatione iudicii & magistratûs.* Cujus dignitatis in republ. interdum omnes cives, ut in Democratiis, (quibus hanc definitionem primò ac potissimum competere Aristoteles existimat) interdum pauci, liq; Optimates, vel præcipuæ tantum & nobiliores familiæ, veluti in Oligarchiis, Aristocratiis, & regnis sunt participes: ex variâ autem & diversâ ista honorum communicatione certi quoque civium ordines atque gradus in singulis reperiuntur.

XLI.

In imperio nostro Romano-Germanicò duplicem nos constituemus civium ordinem. Primus est illorum, qui imperatori atq; imperio immediatè subsunt, & Status imperij *Stände des Reichs* in recessibus imperij communiter appellantur. Ad secundum ordinem redigimus illos, qui mediatè imperatorem pro superiore agnoscunt, quorumq; personam prioris ordinis status in publicis imperij conventibus repræsentant. Priusquam autem de singulis statibus primi ordinis speciatiim agamus, primò nobis erit inquirendum, quænam substantialia illa requisita atque notæ sint,

sint, unde quispiam reverà Status imperij appellari mereatur.
XLII.

Ex antiquis Germaniæ monumentis notum est, non quosvis cives olim ejusdem conditionis atq; dignitatis fuisse, sed eò, quò antè diximus, modò invicem distinctos. Publicis enim regni Comitibus primorum Francorum regum temporibus Episcopi, (qui etiam Pontifices, sacerdotes, præfules nominantur) Abbates, quorum tamen dignitas recentior paululum est, Duces, Comites interfuerunt; quibus sub Caroli M. & successorum imperiò Marchiones Comites & quædam civitates accesserunt. Alios præter jam enarratos ordines jus comitiorum habuisse, vix quisquam nobis ex antiquis monumentis ostendere poterit. Multò minus autem certum catalogum sive matriculam, (ut hodiè appellant) eorum, quibus publicis istis deliberationibus interesse licuit, Caroli M. tempore & secutis tribus integris sæculis patria historia nobis exhibet. Antiquissima imperij ejusq; ordinum divisio fertur, quâ illud in quaterniones fuit distributum, sicuti videre est apud Gold, *tom. I. Constit. Imp. & Munster. lib. 3. Cosmog. c. 18.* Petrum de Andlo *l. 1. c. 16. de Rom. Imper.* Tob. Paurmeist. *lib. 2. de Jurisdic. c. 10. n. 24.* Zachar. Victor. *de caus. exempt. imp. Concl. 5. n. 244.* De autore ejusdem atq; origine variæ sunt opiniones. Quidam autorem faciunt Ottonem III. quidam Carolum IV, alij vetustam adeò ejus constituunt originem, ut autoris nos omnino memoria fallat. Qui enim Ottoni tribuerunt, fragmentum quoddam habent recessus cujusdam imperij; sed illud monitore Goldasto spurium est, ut fidem omninò nullam mereatur. Ab Elia Reusnerò *in Enucleat. quest. historiar. q. 7. p. 85.* erroris inde arguitur manifesti, quod eâ ætate nulli adhuc extiterint Duces Brunsvicenses, Thuringiæ & Habsiæ Landgravij, nec Marchiones Badenses, vel Comites Sabaudia, quarum tamen familiarum ista constitutio expressam mentionem facit. Ipse autem ejus autorem facit Carolum IV. quantum tamen nobis videtur hæc assertio fide historica destituitur. Et quid multis, nullam quidem hæc divisione vul-

ne vulgatiorem, nullam tamen eadem incertiore habemus. Imperij instrumenta vetustiora nullam ejusdem mentionem ingerunt, recentiora obliquè tantum; neq; etiam operæ pretium erit, incertis his conjecturis diutius immorari. Videatur eadem de controversia *Limnæus tom. 2. Jur. pub. lib. 1. v. 8.*

XLIII.

Omniū antiquissima matricula, quæq; fidem quandam mereatur, Noribergæ à Sigismundo Imperatore est confecta Anno 1431. testante *Gold. de reg. Bohem. l. 2. c. 17.* Insecutæ postmodum sunt aliæ, quas idem Goldastus eodem locò, & Zacharias Viator *in dissert. sua de causis exempt. Imp. conclus. 5.* ordine recenset. Et perplacet nobis, quod idem subjungit autor, *si quis, inquit, omnes has matriculas inter se contulerit, in novum orbem venisse novam gentem se invenisse putabit.* Quod sanè reverà ita sese habere, inspicienti tantummodò has publicas Imperij tabulas primò intuitu apparebit. Vix enim tertia pars illarum familiarum, quarum in istis mentio fit; etiamnum in Imperio floret, atque reperitur. Quam hodiè in Imperio habemus matriculam ab Imperatore & omnibus imperij statibus Anno 1521. est elaborata, confirmata postmodum, & nonnihil emendata in *R. A. B. Anno 1551. §. Nach dem auch auff Anno 76. §. Wann auch. Anno 82. §. Wann auch zu; item Anno 94. &c.*

XLIV.

Huic divisioni atq; matriculæ primum fundamentum jecit celebris illa divisio, quâ imperium primò omnium à Maximilianò consensu atq; consiliò procerum imperij in VI. Circulos est distributum. *In der Ordnung des Regiments / tit. wie sechs Räte &c. de Anno 1500.* Apparet idem auß der *Cammergerichts Ordnung. Anno 1507. tit. wann das Cammergericht angehen sol.* Quibus sex circulis postmodum adhuc alij quatuor sunt adjecti; *R. A. de Anno 1512. §. darauff. §. Item. Erklärung des Landfriedens / de Anno. 1522. rub. hernach folgen.* Istis autem in comitiis Carolus V. unà cum proceribus quos & quot status quilibet circulus comprehendat,

hendat, accuratè definivit. Et quamvis postmodum hac parte nonnunquam mutatio quædam, ut supra dictum, contigerit, ea tamen matricula de anno videlicet 1521. in præcipuis substantialibus mansit incorrupta, imò ex illo tempore perpetua fuit regula, & norma dignoscendi veros imperij status. Quæ autem notæ ad veram matriculam, unde probare possit, requirantur, eruditè ex Dd. explicat Zachar. Viêt. dict. locò p. 243.

XLV.

His ita positis, primum requisitum sit, ut, qui immediatè imperio subsunt autoritate Cæsareâ, accedente Procerum consensu, huic matriculæ inferantur. Secundum, ut idem jure territorij fruantur. Tertium, ut jus comparendi, sensionis atq; suffragij in publicis imperij Comitijs habeat, das er Stimm vnd Stand im Reich habe. Ex quibus tandem quartum etiam veluti necessarium quoddam consequens resultat, ut videlicet quis indictiones atq; confuetas collectiones imperij pro ratâ solvat: quam tamen notam Reinking. *lib. 1. de Reg. sac. & Eccl. Cl. 4. c. 1.* & Dn. Iacobus Lampadius in *cit. tr. p. 3. c. 3.* imbecillem memoratæ qualitatis probationem existimant, ejus autem fundatam esse intentionem, nec ulteriori probatione onerari posse, qui tria priora requisita, vel primum solummodo liquidò probare possit. Quis igitur verus & legitimus civis atque status Imperij nostri sit, hinc constat. Nunc de singulis separatim agemus.

XLVI.

Princeps ac præcipuus locus debetur septem Electoribus Imperij, quorum de origine supra abundè diximus. De potestate ac præcipuâ eorum dignitate porro nobis erit differendum. Consistit autè illa in imperatoris potissimum electione, & totius Imperij sub interregnò vel absentia Imperatoris administratione. In electionis actu omnes repræsentant imperij status; omnes electioni interfunt, votis omnino pares, sensione tamen atque votorum ordine quodammodo impares; sicuti ex Tit. IV. Aur. Bull. evidenter

E

denter

denter apparet: omnia autem ea huc describere, opus non esse arbitramur. De vicariatu tantum, qua dignitate cæteris proceribus Electores etiam præfulgent, paucis agemus.

LXVII.

Vicaria autem illa Imperij administratio Palatino tantum atq; Saxoni competit. Ille in partibus Rheni & Sæviæ, & in jure Franconiæ, ratione Principatûs seu Comitatus Palatini: Hic in iis locis, ubi Saxonica jura servantur, provisor Imperij esse debet. An autem absentia etiam Imperatoris locum det vicariatui, acerrimus Doctorum est conflictus. Si verba privilegij à Carolo IV. Anno 1375. concessi, & à Carolo V. Anno 1520. confirmati, accuratius consideremus, affirmativè statuendum erit. Verba ejus ita habent; wann das Reich vaciret, oder ein Römischer Kaysar oder König vber das gebirge gezogen / *re. vid. Gold. tom. 2. der Reichsstatuten pag. 241.* Quamvis autem in *tit. 1. Aur. Bull.* absentia Imperatoris expressa mentio non fiat, admodum tamen verosimile est, illa non minus ad hunc administrationis, quam electionis actum, quem sæpius superstate etiam Imperatore ab Electoribus peractum esse, supra ostendimus, optimâ sanè ratione extendi posse. Exempla ejus rei Historiæ plurima suppeditant. Rupertus I. Elector Palatinus, Caroli IV. per totam ferme Germaniam fuit vicarius; imò legitur, adhortatus esse Imperator Imperij ordines, ut non tantum Rupertum pro vicariò Imperij agnoscerent, sed parem etiam, ac si ipse esset præsens, reverentiam atque cultum exhiberent. Quò nomine & titulò etiam à Gerlaco tum temporis Archiepiscopo Moguntino *in literis sub dat. pur. Maria Anno 1351.* appellatus fuit. Sic vicariatum gessit Ludovicus Barbatus Pius dictus, cum Rupertus Imperator ipsius parens exercitum in Italiam duceret Anno 1401. Qui absente patre præter alia negotia ritè gesta diversis Imperij Comitibus ac proceribus feuda Imperij concessit, fidem pro Rege ab iis accepit, privilegiaque confirmavit, quâ de re ex Archivis Palatinis editum exstat volumen Gestorum sub Ruperto Rege & Ludovicò Vicariò. Ru-
perti

perti autem diploma, quò filio vicariatum tradidit, reperitur apud Marquardum Freherum l. 2. c. 10. in Comm. ad Petr. de Andlo. Verba primariò huc spectantia ita se habent: *Præcipue etiam advertentes à Divo Rom. Imp. & Regibus prædecessoribus nostris hætenus observatum, ac etiam de iure Comitatus Palatinatus Rheni fuisse, & esse, quodcum Rom. Imperator vel Rex ultra montes Italiam ingressus fuerit, in ipsius absentia vicariatum Imperii in Germania, Gallia, & Regno Arelatensi ad Comitatum Palatinatum Rheni pertinuisse & pertinere.* Idem Ludovicus vicariatum eò tempore gessit quò Venceslaus à Bohemiæ Regni proceribus captivus detentus fuit, ut patet ex literis, quibus Ludovicus Imperij proceres de suo hoc vicariatu certiores reddidit. Plura alia exempla in cit. libello de jure Vicar. Palatinatus Rheni Heidelberg. Anno 1614. impressio reperuntur, Videatur item Dn. Doct. Iusti Sinolt, cognomento Schus dissertatio de vicariis Imp. eorumq; potestate. Concl. 9. & 10.

XLIX.

Cæterum quoniam diximus ante Carolinam istam constitutionem duabus supra memoratis familiis Imperii administrationem, iis, quos similiter antea indicavimus, casibus incubuisse; Palatina verò omni procul dubio ratione Palatini Comitatus hæc dignitas obtigerit, operæ pretium erit de antiquâ Palatinorum origine, jurisdictione atque potestate non nihil hic subungere, unde nobis innotescet, quid mutationis, quoad hoc etiam publicum officium in imperiò postmodum contigerit; & utrum demum per Carolinam constitutionem Imperii vicariatus fuerit introductus. Ac primò quidem præfecturam Palatii non aliis è populo dari fuisse solitam quàm iis, qui & claritate generis & opum amplitudine cæteris eminebant, testatur Eginhartus in vitâ Caroli M. Munus non nisi in Palatiò seu aulâ Regiæ exercebant, quod vel publica Imperii negotia, vel civiles tantum causas concernebat. Hæ enim quotiescunq; altioris erant momenti, quàm ut à Comitibus & aliis inferioribus provinciarum iudicibus decidi possent, ad aulam Re-

giam sive Regis Palatium ejusq; supremi judicij præsidem deferebantur. Hincmarus in hiltoria sua c. 19. Comes Palatinus, inquit, de omnibus secularibus causis vel iudiciis suscipiendi curam instanter habebat; ut nec seculares primum Dominum Regem absq; eius consultu inquietare necesse haberent, quousq; ille prævideret, si necessitas esset, ut causa ante Regem merito venire deberet. Ista autem causæ, quæ coram Palatino decidi non poterant, Regis arbitrio atq; sententiæ committebantur. Unde videmus primis Francici Imperij annis non magnam adeo Comitum istorum fuisse potestatem; postmodum tamen, ubi Merovingorum Imperium cæpit, in immensum fuisse auctam, & nihil non sibi in publicis Imperij negotijs ejusq; gubernatione Palatinos arrogasse. Quare Goldast, tom. ult. Constit. Imper. Comes Palatinus, inquit, qui olim Maior domus (ita verò isti præfecti palatio appellabantur) est vicarius Regni, ipsi Regi à populo tanquam custos atq; arbiter & observator attributus. In Chronico M. Jordanis hæc verba de istis Palatinis existant: Et attende, quod Trevirensis, Coloniensis & Moguntinensis civitates & diœceses populi sint Germania & eorum Archiepiscopi debent Imperatorem eligere, adiuncto sibi Comite Palatino a palatio, quod est in civitate Trevirensi; quod olim fuit domus Regni, à quo dicuntur maiores domus, qui modo dicuntur Comites Palatini: Et Marquardus Freherus in Comment. ad Pet. de Andlo, lib. 2. c. 10. Hoc est, quod alibi scripsimus, ait, nec pœnitet, vicariatum illum Imperii, quem sub inter regno vel Cæsare absente Palatinus gerit, non aliunde, quam à vi & iure præfecturæ palatii veteris sive maioratus domus sub Regno Francorum (quæ dignitas mandatam à Rege cognitionem habebat, vel eò cessante usurpabat) dependere.

XLIX.

Officium illorum atq; potestas in Aur. Bull. tit. 5. exprimitur. Quantum autem apparet, determinata eadem non nihil est, & ad certos tantum atque peculiare Imperij actus porrigitur, eò quod in dicto tit. expressè collatio Regalium Feudorum, (quæ vulgariter *Sahnenech* appellantur, inde quod Principes de his sub vexillis investiri solebant) excipiatur. An autem hoc etiam de feudis Archiepiscopo-

scoporum, Episcoporum, Abbatum accipi possit, contro-
versæ quæstionis est. Ex verbis constitutionis optime col-
ligi potest, omnium feudorum regalium, & illorum, quæ
Sahnen Lehn appellantur, collationem soli Imperatori esse
reservatam; adeoq; omnino feuda quoq; majora Ecclesia-
stica eò esse referenda existimamus. Nec quicquam huc fa-
cit, quod in collatione feudorum Ecclesiasticorum alia for-
ma, aliq; ritus observentur, hoc enim ad feudi propriam
naturam atq; substantiam directò non pertinet, licet absq;
ejusmodi externâ ceremoniâ raro, aut nunquam confera-
tur. Imò Reinking. *lib. 1. Cl. 4. c. 16.* notat hæc etiam feuda,
eodem quo sæcularia modò ab imperatoribus conferri. I-
dem demonstrat diploma Ruperti Imperatoris, quò gene-
ralem Imperij administrationem filio commendat, in quo
nominatim excipit feuda insignia Archiepiscoporum, Du-
cum & Marchionum, & quæ cum vexillis seu gladiis recipi
conseyerunt. Hujus diplomatis exemplum existat in Com-
ment. Marq. Freheri ad *Petrum de Andlo. l. 2. de Rom. Imperio.*

L.

Quemadmodum autem horum feudorum collatio
atque investitura, ita etiam cognitio de iisdem soli Impe-
ratori est reservata. Patet hoc manifesto ex Recess. Imp.
de Anno 1521. sub rubr. Röm. Königlichher Majest. Regiment.
S. Ob auch Sachen vorstelen/ Fürstenthumb / Graffschafften be-
langet/so vom Reich zu Lehn rühren; so einem Theil gänglich vnd
endlich gesprochen werden solten/ derselben Erkändnis wollen wir
vns auch hierin vorbehalten haben/ quæ verba reperiuntur et-
iam in ord. Cam. Imp. p. 2 tit. 7. Confirmatidem *textus Feud. l.*
1. Feudal. tit 18. § l. 2. tit. 34. ibique videatur Hermannus
Vultejus *l. 2. Feudal. c 2. n. 9.*

L I.

De cæteris Electorum immunitatibus & privilegiis,
de successione item Electorali plurima hic in medium af-
ferri possent, verum cum de utroque hoc argumento ex-
pressis verbis in Aur. Bulla *tit. 7. § II.* disponatur, & à pa-
rente meò piæ memoriæ illa de successione materia pro-
lixè

lixè quondam elaborata sit, nihilque superesse existimem, quod ad meliorem *tit. 7.* intellectum afferri possit, priusquam ad reliquos Imperij status me conferam, de Rege Bohemix pauca quædam prioribus subjungam.

L II.

Illam autem terram, quæ nunc Bohemia dicitur, sub Germanix finibus à quamplurimis seculis comprehensa fuit. Inhabitatores olim habuit Bojos, quibus postmodum ejectis successerunt Marcomanni, Germanicus populus, sicut ex Taciti *lib de Mor. German.* manifesto apparet. An autem post illa tempora Marcomannis alius iterum populus successerit, non ita facile dixerim, quantum tamen conjecturâ assequi mihi licet, terræ istæ à Venedis Sarmaticò potentissimò populò postmodum sunt occupatæ. Præ cæteris autem indiciis, quæ in eam me abducunt sententiam, est lingua hodierna istorum populorum, quæ sanè à nostrâ maternâ longissimè abit, & maximam cum Venedorum linguâ, qui etiamnum in quibusdam locis Ducatus Megapolitani morantur, affinitatem habet. Quicquid hujus rei sit, illud ex Ludovici Pij Imperatoris ordinatione de divisione inter filios faciendâ apparet, tum temporis Bohemiam partem Imperij Germanici fuisse. Reperitur illa divisio apud Abrah. Hoffman. *Lusat. in pompâ regii ingressus in superior. Lusatiâ in præf. ad ordin. Lusat. Thegan. Trevir. in gestis Ludovici Pii Imperatoris. Anshel. in Annal. Franc. Anno 843.* De Ludovico IV. Imperatore refert Gevoldus, *Imperatore nec tum Germania, sed etiam Bohemix, & quarundam Gallix & Italia partium Domino.* Idem sub Imperio Henrici I. licet observare, de quo ita scribit Anshelmus: *Boëmis igitur, Slavis, Dalmatis &c. Regibus devictis tributum & Religionem imperavit.* In eò porro omnes rerum gestarum autores consentiunt Vratislaum II. Ducem Bohemix Bretislai filium fuisse ab Henrico IV. Imperatore in comitiis Moguntinis Anno 1084. primum Regem creatum, antiquò Moravorum Regnò in Bohemiam translato, adjectò etiam Polonia Regnò. Acta comitiorum vernaculâ linguâ excusa reperiuntur apud Goldast. *in part.*

n. der Reichsſatzungen p. 8. Hujus autem ſucceſſores Regium
titulum neglexerunt uſq; ad Vratiſlaum II., cui à Friderico
I. Imperatore in comitiis Ratiſponenſibus An. 1159. regia
dignitas iterum collata fuit. Quod diploma ſimiliter repe-
ritur apud Gold. rom. 2. der Reichsſatzungen pag. 13. Radev. l. 1.
de geſtis Frid. 1. c. 13. AENEAS SYLVIVS in Hiſtor. Bohem. cap. 24.

LIII.

Verum etiam Vladislai hujus ſucceſſores regia illa
dignitate ultro ſeſe abſtinuerunt, donec Philippus Cæſar
Primislao Otocaro in comitiis Bopardianis Anno 1298.
eam reſtitueret, & Anno ſequenti denuo confirmaret. Atq;
ex eò tempore Majeſtas regia in familia & gente Bohemicã
uſq; ad noſtram ætatem ſine ullã interruptione continuè
permanſit; id quod rerum Bohemicarum ſcriptores paſſim
teſtantur.

LIV.

Illud verò Regnum olim fuiſſe & eſſe hodie Imperij
Germanici feudum beneficiarium, Regesque Imperatorum
vaſallos & pares curiæ Imperialis, ac juramento fidelitatis
atq; homagij obſtrictos, docent non modò leges Imperij &
inveſtiturarum diplomata, ſed etiam cõcors Dd. ſententia.
Neq; ullus pro Rege habendus, niſi prius ab Imperatore ſive
indultum acceperit, ſive inveſtituram. Hac de re exſtat Fri-
der. II. conſtitutio de privil. Regis & Regni Bohemia data Baſilea
Anno 1212. in qua ſancitur: *Volentes, ut quicumq; ab ipsis in Re-
gem electus fuerit, ad nos vel ſucceſſores noſtros accedat, regalia debito
modo accepturus.* Confirmata hæc conſtitutio à Carolo V.
Pragæ Anno 1418. Goldaſt. par. 2. der Reichsſatzungen p. 39.
Vnde etiam Matthias Rex Vngariæ & Bohemia in requiſiti-
one pro inveſtitura iſtius Regni Rudolpho II. oblata Anno
1611. ita inter alia loquitur: *Dagegen bin ich erbötig gewöhn-
liche Belübde vnd Eynde zu præſtiren, E. R. M. vnd dem heiligen
Römischen Reich / vmb ſolche Vergleichung getrew / gehorſam /
gewertig zu ſeyn / E. R. Maj. für meinen rechten Lehnherrn zu
halten / vnd alles zu thun / was einem Ernschencken vnd Churfür-
ſten des Reichs zu thun von Rechts vnd alter Gewohnheit wegen
zu thun gebühret.*

LV. An

An verò Reges Bohemia in Comitibus Imperij à Cæsare indictis sessionis atq; sententiæ dicendæ jus semper habuerint, non ita facile est determinatu. Exemplis autem in medium prolatis res fiet illustrior. Anno 1156. Vladislaum Regem in comitiis Ratisponæ celebratis, sessionem atq; suffragium habuisse memorat Günther. *l. 5. in princ.* Quod etiam confirmare videtur decretum Frider. I. quod habetur apud Goldast. *tom. 1. Const. Imp. p. 282.* Anno 1100. Otto IV. Imperator comitia Merseburgi habuit, quibus Primislaus Ottocarus Rex interfuit, & proximam à Legato Pontificis Romani sessionem habuit. *Spang. in Chron. c. 240.* Anno 1212. Fridericus II. Basileæ electus, principes Imperij conscripsit, inter quos Ottocarus Rex Bohemiæ primas partes in consilio habuit, ut ipse Imperator testatur *in const. de immun. exempt. & libera. Elect. Regis & Regnicol. Bohemiæ sub anno 1212.* Quod etiam jure usq; ad Caroli IV. pragmaticam constitutionem usi sunt. An autem post illam constitutionem idem jus retinuerint, controversum non nihil est. Quod si autem verba *Aur. Bull. tit. 4 in princ.* consideremus, liquido patet, Regi Bohemiæ etiamnum hodie in Comitibus Imperij sessionem & suffragium in Senatu Electorum competere, si modo eò jure uti velit.

Subsecuta autem postmodum Anno 1486. exclusionem à Collegio Electorali, jus quoq; comitorum hoc Regnum videtur perdidisse. Causa exclusionis erat, quod Vladislaus Polonus esset alienigena, & ad Regnum sine Cæsaris auctoritate euectus. Postea autem cum Ludovicus Vladislai filius à Turcis è medio esset sublatus, eiq; Ferdinandus Caroli V. frater in Regno successerit, iidem esse Reges Bohemiæ & Imperatores Romanorum cœperunt: & ex eò tempore raro aut nunquam publicis ferè Imperij comitiis interfuere; neq; enim Imperator seipsum tanquam Regem Bohemiæ ad comitia citare potuit. Mechior Goldastus tamen *in lib. de Regno Bohemiæ* notat, Carolum V. Regem Bohemiæ citasse
ad

ad comitia VVormatiæ indicta, uti ibi de uniformi mone-
tarum per cunctas Imperij provincias ordinatione consti-
tuendâ cum Cæsarea Majestate, Electoribus & ordinibus
Imperij consultaret, quò etiam svasu Regis proceres Regni
legatos sub Regis nomine miserunt; quod etiam Anno 1550.
factum esse narrat.

LVII.

Illud deniq; dubitationis non nihil habet, utrum Rex
Bohemix jus sessionis & suffragij in conventu Electorali
habeat? Acriter eâ de causa disputatum fuit. Noribergæ
Anno 1612. ubi Cardinalis Cleselius & Neostadianus Epi-
scopus à Matthiâ cum mandato ablegati, locum sibi in Se-
natu dari Regis nomine vehementer contendebant. Et sanè
si ipsum textum Aur. Bull. consideremus, ipso jure petiti-
oni legatorum locus relinquendus fuisset, de factò tamen
admittere eos noluerunt, contrariam observantiam oppo-
nentes; idq; etiamnum hodie in Imperiò obtinere, experi-
entia hæcenus didicimus. De cæteris Regni Regisq; Bohe-
mix privilegiis plura hic notabilia afferri possent, verùm
instituti nostri ratio omnino non patitur. Consulatur eâ
re Goldast. lib. de Regno Bohemix; & pars II. der Reichs-
sungen/ pap. 39. & 43. Et tantum de Bohemix Rege, cæteris-
que Imperij Electoribus.

LIX.

Proximus ab Electoribus locus debetur Archiepiscopis:
De quibus postea, ubi de Ecclesiasticis imperij statibus
agemus, differendi occasio suppeditabitur. Nunc de reli-
quis secularibus, inter quos primum ab Archiepiscopis lo-
cum tribuimus Ducibus. Hujus autem dignitatis origo est
pervetusta, eius enim mentionem non tantum in Tacito an-
tiquissimò, præter Cajum Iulium Cæsarem, Germanicarum
rerum scriptore, verùm etiam in omnibus illis, qui Franco-
rum res gestas memoriæ prodiderunt, fieri videmus. Quod-
nam autem officij genus apud majores nostros gesserint, ex
Taciti verbis apertè colligitur, quando *lib de Mor. Germ.*
Duces exemplò potius, quàm Imperiò, Si prompti, si per-
spicui

spicui sint, si ante aciem agant, admiratione præesse narrat. Univerſæ nimirum præerant militia, bella ipſorum auſpicis gerebantur, & in illis magna illorum tum autoritas, tum poteſtas erat. Pacis autem tempore parum poteſtatis in Reip. adminiſtratione ipſis erat conceſſum, præcipuum tamen inter omnes locum, primumq; votum in publicis deliberationibus habuiſſe, admodum verofiſimile eſt. Et hæc erat primæva Ducum conditio atque poteſtas.

LIX.

Francorum ſub Imperiõ dignitas iſta etiamnum erat uſitata, eoq; nomine veniebant hi, quos Franci devictis populis rectores conſtituebant. Ex illa enim Hiſtoriã notum eſt, Francos omnes iſtas terras, quas ſuo ſubijciebant Imperiõ, more & exemplõ Romanorum in provinciã formam fedegiffe, iſq; tum præcavendæ defectionis, tum commodioris adminiſtrationis gratiã Duces i. e. gubernatores impoſuiſſe. Sic olim devictis atq; ſubjugatis Alemannis, Dux unã cum pluribus Comitibus fuit conſtitutus, qui proximum à Duce locum habebant; ipſa autem Regio per centenas, narrante Beato Rhenanõ *lib. 2. Rer. German. pag. 157. & 158.* diſtributa fuit. Ita Carolus M. Saxoniam diuturnõ bello debellatam, poſtinodum per VVitichindum Ducem, quondam populi iſtius Regem, gubernavit. Bavaria item, imò omnes fermè regiones eõ, quõ diximus modõ à Francis fuerunt adminiſtrata.

LX.

Verum ad illam dignitatem nemo, niſi qui ex nobili quadam familiã eſſet progenitus, optimeq; de patriã meritis evehebatur. Et quamvis eadem ex mera & libera Regis procerumq; voluntate fuerit collata, adeoq; nihil hæreditarij haberet; ex Hiſtoriã tamen apparet, parentes nonnunquam liberos hac in dignitate ſucceſſores habuiſſe, eadem ratione, quã etiam Regia dignitas in hæredes, ut ſuprà indicavimus, nonnunquam tranſitoria fuit. Evincit hoc teſtimonium Beati Rhenani, quod antea memoratõ loco reperitur: *Romanos, inquit, imitati ſunt Franci, nam illi provinci-*

arum

arum rectores, Duces appellabant. Deligebant Duces ex nobili familia. Sic Boiari Agilofingorum antiqua gens diu Duces dedit, ex qua VVelphones proditisse suspicor. Hoc autem privilegium habebat ea familia à priscis Francorum Regibus, ut si quis fidus Regno, prudensq; ex eadem progenitus, compertus esset, non aliunde quisquam ascisceretur in Ducem &c.

LXI.

Sciendum autem, Duces illas in provincias, quibus gubernandis erant præpositi, hac Imperatorum concessione nulla omninò jura sibi acquisivisse, sed easdem nihilominus in Regis atq; populi patrimonio semper permanfisse. Potestas eorum atq; jurisdictio erat demandata, imò arctis ad eò limitibus inclusa, ut pleraq; negotia, quæ majoris momenti erant, ex Regis placitò essent decidenda. Exemplò nobis sint Duces Bojoaria, quibus certæ leges Regiminis atq; administrationis præscriptæ fuerunt, quæ exstant apud Avent. l. 3. *Annal.* & Christophor. Lehman. l. 2. c. 16. Vnde etiam Bodinus l. 3. *de Rep. cap. 5.* rectè ita loquitur: *In Francico Imperiò Duces, Comites, Marchiones, & qui arces provinciarum habent, à Principe iurisdictionem & Imperium olim habuerunt precarium, nihil suum.* Et Vadianus l. 1. *de Collegiis monast. in Germ. veteribus: Franci Regis, inquit, Regnum suum, Ducum maximè & Comitum operâ moderabantur, qui in illa quidem atate non suam cens propriam, sed publicam Regni ditionem administrabant. Perinde enim ut apud Romanos, Proconsules, Præsides, Questores, Procuratores: Ita in Francorum Regnò Duces, Comites, & qui Camera nunciarii dicebantur, alienæ potestatis functionem gerebant. Idem: citatò locò fol. 83. Illâ atate, inquit, Duces & Comites non sui iuris, sed Regum atq; Imperatorum officarii veluti atq; ministri erant.*

LXII.

Tempore Caroli M. mos constituendi Duces magis magisq; in desuetudinem abiit, eò quod nonnulli concessò sibi Imperiò abuterentur, contra Imperatores assurgerent, eosq; pro superiore agnoscere recusarent, Inter quos Odilo, Tassilo Bavariæ, & Landfridus Alemanniæ Duces fuerunt. Quæ etiam causa est, quod sub Imperiò Carolinæ

stirpis in historia Francica nullius ferme Ducis mentio fiat, sed provinciarum gubernatores, a scriptoribus Comites, Barones seu Graviones plerumq; appellentur. Sveviam certè & Franconiam nullos habuisse Duces, ex verbis Eckhardi Junio. *de Cas. Gall. monaster. cap. i.* colligitur, *Notandum*, inquit, *adhuc illo tempore (Ludovici nimirum IV.) Svevia in Ducatum nondum erat redacta, sed sisco Regio peculiariter parebat, sicut hodie & Francia.* Solus Rhegino Historicus Ducis Thuringiæ ab Imperatore Arnulpho constituti, mentionem injicit, sicuti etiam nonnulli scriptores sunt, qui idem de Saxonia memoriæ prodiderunt; de quo tamen nonnulli etiamnum vehementer dubitant.

LXIII.

Existimandum tamen non est, illam dignitatem extinctâ Carolinâ Progenie omnino fuisse sublatam. Sed sub Saxonis Imperatoribus certum est, insignem quandam mutationem, quoad hunc etiam Imperij statum, contigisse: Non tantum enim Ducalis illa dignitas hæreditaria fieri cœpit, verum etiam nobiles ejusmodi atq; illustres familiae, tum temporis istis provinciis, quarum administratores tantummodo olim erant, ab Imperatoribus fuerunt investiti. Atq; hæc prima est origo nostratis juris territorialis, sive omnimodæ jurisdictionis atq; regalium, quibus hodie status Imperij suis in territoriis perfruuntur.

LXIV.

Quodnam igitur discrimen inter hodiernos Imperij Duces, atque eos, qui olim hac dignitate præditi fuerunt, faciendum sit, ex supra dictis, ut putamus, satis videtur manifestum. Omnium autem Ducum, qui hodie in Imperio reperiuntur, catalogum hic inferere opus non esse arbitramur, tum quod de iis nemini non satis constet, tum quod in Imperij matriculâ suâ quilibet locò exhibeatur. Potestatem atq; jurisdictionem, quam non modo Duces, verum omnes etiam veri ac legitimi Imperij status, suis in territoriis exercent, imò majorum quorundam regaliorum usus, partim ex jure illo territoriali, partim ex speciali quadam Impe-

Imperatoris concessione originem ducere existimamus.

LXV.

De jure autem isto territoriali ita nos sentimus. Primis Germanici Imperij annis istarum dignitatum, ut dictum est, alia longè ratio, alia conditio fuit. Omnis illa potestas, quam status Imperij hodie exercent, olim erat delegata, nec jure Magistratûs, hoc est, sub qualitate, der hohes Landes Fürstlichen Obrigkeit, illustribus Imperij familiis cõpetebat. Duces, Comites, & cæteri Regni proceres, rectores atq; administratores erant provinciarû, juris dicundi saltè facultate tã in civilibus, quã criminalib⁹ causis præditi. Majora Regalia soli manebant Imperatori. Minora etiam, sub quibus vias publicas, flumina navigabilia, vectigalia, jus armandiæ, argentariæ, salinarum redditus, Piscationum & thesauri inventionem comprehendimus; imò omnes redditus provinciarum, cujuscunque etiam generis fuerint, non ad rectores istos provinciarum, sed ad fiscum Regium pertinebant. Unde etiam bona Fiscalina appellabantur, sic dicta, quod Rex ea non tantum ad dignitatis suæ conservacionem, verum totius quoq; Imperij, si quando necessitas postularet, defensionem atq; incrementum impenderet. Hæc erant illa bona, quæ antiqui Francorum scriptores proprietatem dominicalem, Jurisconsulti, Galli præfertim, domanium sive domanium appellant. Domanium autem interprete Francif. Hotom. in. Francogall. c. 9. quasi das Regni erat, sive quasi usus fructus quidem certarum possessionum regi ad tuendum dignitatis suæ splendorem attributus. Dixi quasi usus fructus, propterea, quod earum possessionum proprietas penes populum manet, neq; ulla eius pars alienari à Rege sine ordinum & publici consilii consensu potuit.

LXVI.

Ex quibus apparet, Regum atque Imperatorum opes tum temporis longè maximas fuisse, nec in ullius privati patrimonium transire potuisse. quamdiu scilicet Reges atque Imperatores antiquis legibus, atq; antiquâ stabant regiminis formâ. Postea quam autem fiscalina illa bona ex

mera

○ Superioritate, atq; summis Majestatis juribus; quæ propter
ea in nostris Imperij recessibus optimâ sanè ratione, reser-
vata Imperatoris communiter appellantur. Et hinc illorum
errorem manifestò patere existimamus, qui hâc dictorum
jurium communicatione; & quidem sub tit. & qualitate
der hohen Landesfürstlichen Obrigkeit / status Imperii tantam
potestatem suis in territoriis, consecutos, & etiamnum ho-
die consequi arbitrantur, quantam Imperator in Imperiò
exercere possit. Quî enim Princeps Imperij plus juris suò in
territoriò sibi vindicare possit, quàm per meram Impera-
toris liberalitatem est consecutus; ut taceam nulla omninò
majestatis jura statibus competere? sed si quæ habent, ex
peculiari ea imperatoris concessione proficiscuntur. Sic-
uti pluribus id ipsum rationibus & exemplis illustrari pos-
sset: nisi nobis discursus de reliquis Imperij proceribus esset
prosequendus. Ac primò quidem de Archiducibus.

LXIX.

Et quamvis Archiduces inter sæculares principes pri-
mum ab Electoribus locum obtineant, ideoq; ducibus non
post, sed ante poni debuissent. Existimavimus tamen hoc
parum ipsorum eminentiæ, cæterisque privilegiis, quibus
reliquis secularibus principibus præminent, derogare:
imò non sine causa nobis visum fuit, generalem quendam
discursum de Ducibus eorumq; potestate præmittere, ut eò
melius, quid discriminis inter hos & illos intercedat, di-
gnoscere possemus: sicuti etiam infrà in Comitibus à no-
bis est observatum. De hujus autem ordinis dignitate po-
testate ac privilegiis multa hic congerere animus mihi non
est. Videatur ea de re Theod. Reinking. *lib. 1. Cl. 4. c. 10.* De
privilegiis autem Archiducum Austriæ Gold. *part. 2. der
Reichs-satzungen / p. 21.*

LXX.

Porro de Principibus. Principis autem nomen gene-
rale est, & in Republ. ei tribuitur, qui primum & præcipu-
um in eâ locum obtinet. Hinc in *l. 1. ff. de LL. 1. ff. de Constit.
princ. & c. 1. de Nat. Feud.* illud nomen Imperatori tribuitur.
In Romana Republ. Principes Juventutis appellabantur hi,
qui

↗
mera Imperatorum liberalitate alienari coepta sunt, eaque
privatis habere licitum fuit, integri paulatim Ducatus, Co-
mitatus, aliæq; Imperij partes in feuda & quidem hæredi-
taria fuerunt concessæ, unde publica tandem egestas sub-
secuta est; imò crescentibus interim privatorum bonis, a-
deoque nervo rerum gerendarum Regibus adempto, ipsa
quoq; Respublica non potuit non aliam in formam sensim
commutari.

LXVII

Hujus autem profusæ liberalitatis exigua admodum
initia fuere. Ante Cali M. tempora vix ullum ejus rei vesti-
gium extabit. Post ejus tempora, & quamdiu Regia digni-
tas ejus in progenie duravit, nullum tantæ prodigalitatis
exemplum in historiâ hætenus sese mihi obtulit. Quantum
autem nobis videtur, primò omnium sub Saxonis Impe-
ratoribus nimia ista ac perniciosa donandi cupiditas ini-
tium sumpsit. In Germaniâ seriùs aliquantulum; in Italiâ
verò jam tum Carolinorum tempore obtinuisse ex Carol.
Sigon. *Histor. de Regno Italiae*, in quâ plurima investiturarum
diplomata reperiuntur, apertè liquet.

LXIX.

Ex quibus positis jam patet origo istius juris, quod
territoriale dicitur, statibusq; Imperij sub titulò *der hohen
Landes Fürstlichen Obrigkeit* ab Imperatoribus per investitu-
ram hodie confertur. Complectitur nimirum omnimo-
dam jurisdictionem, majora atque minora Regalia, omnes-
que illos redditus, quos olim fiscalina bona appellatos fuisse,
anteà demonstravimus. Cuncta olim solius erant Impera-
toris, nihil iis ex bonis illustres Germaniæ familiæ ullo do-
minij jure participabant. Subsecuta tamen postmodum
immensâ hac Imperatorum liberalitate, Duces, Comites,
aliæque illustres familiæ iis provinciis, quibus gubernandis
antea fortè erant præpositi, aut de patriâ optimè meriti, ab
Imperatoribus investiebantur: collatis in eos paulatim et-
iam omnibus iis juribus, quæ solius olim Imperij erant atq;
Imperatoris, salvâ tamen semper atq; integrâ Imperatoria
superio- ☉

Qui ad magistratus capiendos ab Imperatoribus designabantur. Rosin. *andiq. Rom. lib. 7. cap. 13.* Nostrum autem si spectes Imperium, & quid hodie eò nomine atq; titulò nobis veniat, facile apparebit, eò nunc esse deventum, ut Duces, & Marchiones, & simili Regali dignitate gaudentes generaliter Principes appellentur, idq; fit expressè à Frid. I. *in Iure Feud. c. 1. in princ. in verb. à Principibus Italicis; de prohib. feud. alienat. per Frid. & passim à Carolo IV. in Aur. Bulla.* In specie tamen alius Electoris, alius Ducis, alius Marchionis, alius Comitis titulò designatur. Reperiuntur tamen hodie in Imperio nostrò status, quibus nullus dictorum titulorum competit, sed tantum Principis nomine appellari solent. Tales sunt in Imperio Principes Anholtini die Fürsten von Anhalt. Et Duces Sabaudix respectu Pedemontanæ Regionis sunt & dicuntur Principes Pedemontium. Videatur Norderm. de jure Principat. Et Ioachimi Gluten sylloger. quotidianarum. Nunc de Comitibus.

LXXI.

Apud Francos Comites dicebantur, more jam à Constantini M. tempore Romanis consuetò, qui certis in provinciis Regni jurisdictionem tam civilem, quàm Ecclesiasticam Regis nomine exercebant; ex præcipuâ nobilitate delecti. Constat hoc ex capit: Franc: l. 2. c. 25 *Sed & hoc obsecramus, ut in eligendis adiutoribus vestris (i. e. Comitibus) & Reip. ministris, qui vice vestrà populum Dei regere & gubernare & iudicare debent providentiam adhibeatis.* Et in cap: quodam Caroli M. quod apud Gold. exstat. Tom. 3. Const. Imper. p. 148. *Si de possessionibus seu Ecclesiasticis, seu propriis super eos clamor ad iudicem venerit, mittat iudex clamantem eum misso suo ad Episcopum, ut faciat eum per Advocatum iustitiam recipere. Si verò talis aliqua inter eos contentio orta fuerit, quam per se pacificare non velint, aut non possint, tum per Advocatum Episcopi, qualem iusserit ipse in causa ipsa ante Comitem vel iudicem veniat, & ibi secundum legem finiatur anteposita persona Clerici.* Et hæc de Ecclesiasticis causis cognoscendi potestas Comitibus per 300. annos usq; ad Caroli M. tempora fuit concessa, qui tandem suasu Gelasij Papæ, Ecclesi-

clesiasticam à civili jurisdictione separavit, illam Episcopis commisit; hæc verò penes Comites permansit. Quà de re ita legitur in capit: Franc: l. 7. c. 322. *Placuit, ut Clerici non diiudicentur, nisi à propriis Episcopis. Fas enim non est, ut divini muneris Magistri temporalium potestatum subdantur Imperio.*

LXXII.

Ejusdem atq; sequentium Imperatorum temporibus in singulis civitatibus ad minimum unus Comes residebat, qui vice ac nomine Imperatoris jurisdictionem in cives exercebat; neque enim eò tempore civitates adhuc propriis gaudebant Magistratibus atq; iis immunitatibus, quas deum post illa tempora sunt adeptæ. Comites autem isti suos in ejusmodi civitatibus præpositos habebant, quos *Schultheissen* appellare possumus, testante *Ansegisô lib. 5. cap. 14.* Hi insuper plærumq; alios ex plebe delectos sibi adjungebant, penes quos jurisdictioni potestas erat sita. Istorum autem Scabinorum electio Comiti populoq; cujuslibet civitatis competebat. Quam tamen Reges nonnunquam per missos suos peregisse, patet ex *Gold. Tom. III. Const. Imp. p. 153. quod ita habet: Ut missi nostri, ubicunque malos Scabinos inveniunt, eiiciant & totius populi consensu in locum eorum bonos eligant, & cum electi fuerint, iurare faciant, ut scientes iniuste iudicare non debeant.* Idem innuit *Cap. Ludov. c. 15. apud Gold. d. tom. Const. Imp. p. 267.*

LXXIII.

Olim quintuplex Comitum erat differentia. Alij simpliciter Comites, alij Comites Palatij, alij Centenarij *Centgrafen*/ alij *Bograsen*/ alij deniq; *Ruhgrafen* dicebantur. Vid. *Andr. Kntch. de iur. terr. c. 4. n. 54. cum seqq.* Quorum omnium diversa officia, dignitate autem quodammodo pares fuerunt; primò tamen ac præcipuò loco Comites Palatini erant; cæteros pro diversitate atq; distinctione provinciarum, quibus præerant, certis etiam honorum gradibus invicem distinctos fuisse verosimile est.

LXXIV.

Quemadmodum autem Ducum dignitas, ut supra dictum

G

Etum est, olim officium magis fuit, quam nomen aliquod hereditarium aut principatus, imò nullas aut exiguas certe opes annexas habuit, ita de hoc etiam Comitum officio omnino statuendum existimamus. Posteris enim temporibus Comites terras istas atq; districtus, quibus præerant, ab Imperatoribus sub fide Vasallaticâ, hereditariè, & perpetuò acceperunt; ejusq; conditionis omnes hodie Imperij Comites esse nemo diffitebitur.

LXXV.
Nos illorum triplicem in Imperio ordinem constitui-
mus. Alij simpliciter comites Imperij sive Grafen des Reichs
appellantur, quales sunt omnes illi, qui immediate Comi-
tatum ab Imperatore atq; Imperio recognoscunt, veri sta-
tus Imperij sunt, & in comitiis jus sessionis atque suffragij
habent. Alij ejusdem quidem ordinis sunt, titulo tamen,
atq; dignitate cæteris eminentiores: Cujusmodi sunt, qui
in recessibus Imperij Gefürstete oder Fürstenthümliche Grafen
plurimq; appellantur: ut sunt Comites Habsburgenses, Ti-
rolenses, quos repræsentant Archiduces Austriae, Henne-
bergenses, Arnbergenses à Maximiliano II. inter Imperij
Principes relati. R. Ab. de an. 1594. Görzenses R. Ab. de
an. 1576. S. Nachdem auch jeso ibi: die Fürstl. Graffschafft Görz.
Schanmburgenses, ex quibus primo Ernesto à Ferdinando
II. Francofurt: An. 1619. Principis titulus est collatus. Co-
mes Carolus Mansfeldius, Carolus Baro à Lichtenstein/quos
Rudolphus II. Principes creavit. Alij deniq; mediatè tan-
tum Imperio subsunt, & Comitatus suos ab inferiore quo-
dam Principe in Feudum acceperunt, cujus veri Landsassij
sunt, statibus autem Imperij omnino non annumerandi.
Vnde etiam Vasalli Principum sunt & in causis feudalibus
ipforum forum sequuntur. Quâ de re expressam habemus
decisionem in R. Ab. de anno 1548. S. Wiewohl auch in des
Regierungs handlung. Ibi: So haben wir. Tales sunt Comites
de Hatdek sub Austriacis, quorum mentio fit in R. Ab. de
anno 1529. Sub domo Burgundicâ, die Grafen von Nassaw /
Dredan / die Grafen von Brünthorst / von Egmont / vnd Isel-
stein.

Rein. Sub Electore Brandenburgensi, die Grafen von Hohn-
stein vnd Schwed. Herrn zu Biernaden. Sub ducibus Pome-
rania, & Episcopo Caminensi, die Grafen von Newgardt / E-
berstein vnd Nassaw. Sub Archiepiscopo Coloniensi die Herrn
von Nifferscheit. Sub Duce Bavariae particularium bonorum
ratione die Grafen von Ortenburg. Et sic deinceps alij quam
plurimi. Consule Theod. Reinking *Lib. 1. Class. 4. c. 14. Besold. in
dist. de Com. & Baron.*

LXXVI.

Ad Comitum quoq; ordinem nostrò in Imperio Land-
gravios, Marchiones & Burggravios redigimus: qui simili-
ter status Imperij sunt, omnibusque iis juribus, quibus veri
Imperij status, fruuntur. Langravij sive Comites provin-
ciales, erant iudices & Præsides totius alicujus provinciae.
In Imperio Romano dignitas ista dupliciter videtur esse di-
stineta. Quidam Principum honore censentur, quidam sim-
pliciter Comitum tantum nomine veniunt. Illorum in Im-
perio quatuor, aut ex Gold. sententia ad summum quinque
numerantur: Landgravius videlicet Hassiae, Thuringiae,
Alfatiae (quò titulo non tantum Archiduces Austriae, sed et-
iam Episcopi Argentinenses utuntur, ut patet ex recess.
Imp. de Anno 1521.) Leuchtenbergensis, quibus Goldastus
quintum Landgravium Francorum addidit, an recte, asse-
rere non possum, eò quod ipsum ex parte dubitare videam.
Ex horum autem numero sunt die Landgrafen zu Bahre / qui
titulus est Comitum à Fürstenberg / Landgrafen in Gleclaw /
qui est Comitum à Sulz: quia autem alij in subscriptione
recessus Imp. Anni 1570. tantum Grafen von Gleclaw appel-
lantur, inde praesumitur, quod praedicti nomen comitis des-
Grafens praeponere soleant nomini Landgravij sicuti idem
de comitibus de Lupfen, Landgraviis de Bahren vnd Stie-
lingen in ejusdem recessus subscriptione observare licet.

LXXVII.

Marchionum tum dignitas tum officium antè in Ger-
mania Inauditum, Caroli M. & sequentium Imperatorum
temporibus primum invaluit. De vi & derivatione nominis

G 2

varia

variæ sunt scriptorum opiniones. Sunt qui Marchiones à Marchione quodam Trojanò dictos perhibent, alij à Marcomirò Francorum duce, alij à Marcomannis, alij aliam adducunt originem. Verùm hæc non conjecturæ sunt, quæ ulla nituntur probabilitate, sed pura puta deliria. Nobis autem illorum placet sententia, qui nomen istud à limite (quod Germanis *Merck* oder *Marck* dicitur) derivari existimant. Carolus enim Magnus subjugatis Longobardis, Saxonibus, aliisque Germaniæ finitimis populis; certos non tantum imperij limites iis in locis constituit; sed ea etiam magnis præfidiis firmata, præcipuis viris ex nobilitate delectis defendenda atq; gubernanda commisit. Limites istos Marchias, defensores verò atque custodes Marchiones appellans. Vid. *Christ. Besoldum in diss. de Com. & Baron. Imperii.* Iohan Gorop. Beca. *lib. 2. antiquit. Antverp. pag. 150. Pet. Albinum tit. 9. 211. Norderman dissert. de iure Princip. Conclus. 85. Lit. D. Paurmeist. de iurisdic. lib. 2. c. 10. Theodorus Reinking. l. 1. cl. 4. c. 13* Nostris temporibus dignitas mansit, munus saltem atq; officium; cessat; omnesq; Marchias sive Provincias quibus Marchiones olim, ut administratores atque iudices nomine Imperatoris præerant, hodie illustres familia, ut proprias possident, atq; in iis per investituram, jus territoriale, non minus ac cæteri Imperij status, sunt consecuti. Et tantum de Marchionibus. De Burggraviis etsi non nihil habeam; quod in medium hic afferri possit, imò operæ pretium foret, antiquam hujus dignitatis tum originem tum potestatem indagare. Quoniam tamen compendium laborum facere cogor, non iniquò, ut spero, animò benevolus lector feret, si ad alios scriptores Theod. Reink. videlicet *lib. 1. Class. 4. c. 13. & Ioach. Clut. Syll. rer. quot. th. 26.* remiserò. Mihi enim nunc ad ea, quæ supersunt pertractanda, est deproperandum. Proximum autem locum tribuimus Baronibus.

LX XIX.

De hujus vocabuli origine variæ sunt Doctorum opiniones. Sunt nonnulli, qui ex Gallicò Idiomate derivatum
autu-

autumant; ideo quod Barones Gallis sint Vasalli Coronæ
immediate subjecti jus superioritatis non habentes. Alij,
inter quos etiam Befoldus, verisimilius esse arbitrantur, di-
gnitatem istam nomine esse vetustiore. Et fanè si nobili-
tatis gradus, quibus Franci olim distincti fuerunt, specte-
mus, haud obscure fortassis inde colligere poterimus: eti-
am hunc dignitatis gradum ab eò inde tempore usque non
omnino in Imperiò fuisse incognitum. Speculum Svevi-
cum c. 47. triplicis istius ordinis mentionem facit his ver-
bis: hie soll man merken dreyerley freye Leute welche recht haben/
es heissen eines semper freyen / das sind die freyen Herrn / Als
Fürsten vnd die andere freyen zu man haben / das andere seind mit-
tel freyen das sind die der hohen freyen man sind / das dritte seind
gebühren die frey sind / die heissen freye Landsassen / Cui consen-
tit Munsterus in Cosm. lib. 4 c. 10. Paurm. lib. 2. de iurisd. c. 11.
n. 40. Et Rein. Reinec. in tractat: Von des Adels herkommen.
Ex quibus apparet, illam dignitatem jam tum fuisse in Im-
periò, distinctam tamen à purâ & simplici istâ nobilitate.
Quî autem factum sit, ut qui hujus originis fuerunt, quibus-
que ad majora officia aspirandi licentia data fuit, Barones
dicti sint, hætenus, ut fatear, ex nullo veteri scribtoe vero-
similiter colligere potui. Befoldus existimat in vetustissi-
mis Germanicis rythmis vocem Bar pro libero Franco Frey/
ledig vnd los frequenter usurpari; quò cum ex parte etiam
Marquardus Freherus facit: uterq; rem exemplis illustrat,
& quantum nobis videtur derivatio ista quadantenus tole-
rari poterit. Videatur eadem de re Reinking de Reg: secul.
& Ecclesiast. l. 1. Cl. 4. c. 15.

LXXIX.

Verum quicquid tandem hujus rei sit, illud certum est, hunc
ordinem olim, & etiamnum hodie, præcipuum quendam
nobilitatis atq; libertatis gradum indicare. Duplex autem po-
tissimum in Imperiò est Baronum differentia, quidam enim
solò tantum titulo gaudent, quales hodie in Imperiò quàm
plurimi reperiuntur, & singulis propemodum annis quàm
plurimis in aula Cæsareâ ab Imperatore ea dignitas confer-
tur.

tur. Quidam verò immediatè non tantùm Imperio sub-
sunt; sed de Baronatu etiam sunt investiti, qui reverà stati-
bus Imperij accensentur, publicis Imperij comitiis inter-
esse licet, qui interdum *Frey* ut in ord. Camer. Max. t. de 1495.
in princi. & anno 1521. Aliquando *Freyherrn* ut in Aur. Bul.
in fin. princ. ibi; *Grafen / Freyherrn / Edlen* nominantur. Qui-
bus appellationibus accedit etiam illa, quam Reink. cit. loc.
affert, quod quidam in Imperiò specialiter *Herrn* dicantur,
ut sunt *Barones Ruxsi, die Herrn Keussen / Plawen / Schönberger /*
Sternberger & similes. Quàm variis autem nominibus Ba-
rones in Imperij decretis appellentur, & quò pactò Comi-
tes & Barones inter sese differant, quid item nostri Imperij
recessus, & hodierna consuetudo eà de re disponant, eru-
ditè ac pluribus explicat Reinking: in loc. cit. ad quem be-
nevolam lectorem brevitatis studio remittere cogimur.
Nunc de libera Imperij Nobilitate.

LXXX.

Germanici populi quadruplici olim ordine distingue-
bantur. Nobilium videlicet, liberorum hominum plebej-
orum, libertorum & libertinorum, & deniq; servorum. In
nobilium ordine quidam præcipuæ, quidam infimæ nobi-
litas erant, illi amplissimis decorabantur honoribus, ma-
jorum nimirum in Republ. munerum & officiorum parti-
cipes: Ex hoc ordine Comites Palatini, Duces in curam at-
que administrationem Reipubl. ab Imperatoribus coopta-
bantur; imò ipsa nonnunquam deficiente Regiâ familiâ
ipsi ad Imperij gubernacula provehebantur: sic Tacitus *lib.*
de Morib. Germ. Reges ex præcipuâ nobilitate olim desum-
tos fuisse, imò insignem nobilitatem, Principis dignatio-
nem adolescentulis quoq; assignasse narrat. His verò, in-
fimæ nimirum nobilitatis hominibus non ita facilis ad ma-
jora ista Magistratum munia aditus erat concessus: præ
plebejis tamen præcipuis quibusdam privilegiis atque im-
munitatibus gaudebant. Pluribus hoc exemplis patria hi-
storia illustrat; omnia verò ea hic congerere nobis per in-
stituti nostri rationem omnino non licet.

LXXXI.

Quamvis autem, ut diximus, præcipua nobilitati aditus ad majora ista magistratum munia erat concessus; e-
jusq; dignitatis intuitu ad publicas Imperij deliberationes
admissa fuerit: mihi tamen ex patriis monumentis vix de-
monstrari poterit, quosdam nobiles Imperij cives, sive uni-
versum nobilium ordinem in Placitis Francorum (ita enim
comitia olim appellata) jus sessionis atq; suffragij unquam
habuisse. Comitibus quidem interesse licuit, non ut peculia-
ris quidam Imperij status, sed eò fortassis respectu, quò etiam
cuilibet ex populo; majori tamen tum auctoritate tum suf-
fragandi libertate. Hincmarus Rhemenfis cives, qui ad co-
mitia citari olim consueverunt, duplicis ordinis fuisse nar-
rat, seniores nimirum & minores, Illi erant primi ac prima-
rij Regni senatores. Horum nomine indigitabantur pri-
mates, præfecti, judices & populus. Sic olim Anno 788. nar-
rante eodem in Placito Ingelheimensi conveniunt Pontifi-
ces; Majores, minores, sacerdotes, Reguli, Duces, Comites,
Præfecti, cives oppidani. Quò cum testimonio omnis an-
tiqua Francica historia conspirat, & quamplurima, si lice-
ret, exempla inde depromi possent.

Quod si autem præsentem Imperij statum intueamur,
peculiarem quendam nobilitati locum, in publicis Imperij
comitiis postmodum, obtigisse & etiamnum hodie, si velit,
competere, publica testantur Imperij instrumenta. Cujus
mutationis quæ causa, atq; prima occasio fuerit, in patriâ
historiâ vix ullum vestigium reperietur. Videatur tamen
de hac te Besold. in diicursu de ord. *Equestri* & Iohas Nol-
den. *de statu nobilitatis* c. 15. n. 146.

Nobiles autem immediatè imperio subiecti, in tres
classes ratione loci distribuuntur, in Franconicam nimi-
rum, Sævicam & Rhenanam. Appellantur illi in Imperij re-
cessibus, die *freye vom Adel/ die freye Rittersehafft/ welche ohne*
mittel der Kaiserh. Mayest. vnd dem Reich vnterworffen R. Lib-
sehied

schied de anno 1555. §. vnd in solchen Frieden. Item R. Ab.
de anno 1500. sub. rubr. was man mit den Ritterschafften zu
Franken/ Schwaben vnd Rheinlanden handeln soll/ Cammerge-
richts Ordnung. p. 2. tit. 5. ibi. Edelman oder andern des Adels/
der oder die dem Reich ohne mittel vnterworffen.

LXXXIV.

Quænam verò hujus dignitatis prima origo fuerit, mi-
hi, ut fatear, non ita certò constat, admodum tamen vero-
simile est, jam ante promulgatam Constitutionem Caroli-
nam, hunc equestris dignitatis ordinem in publicis Impe-
rij comitijs locum reliquos inter status habuisse. Apparet
hoc ex ipsis Aur. Bull. verbis auch anderer Fürsten/ Grafen/
Freyherrn/ Edlen/ &c. certò enim mihi persvadeo, Carolum
Imperatorem nobilium ordini non tum primum inter Im-
perij status locum dedisse; sed si eiusmodi quid factum fuif-
set, rem tanti momenti silentiò non præteriisset. Eodem
tempore nobiles constitutionem quandam ejusdem Impe-
ratoris suâ subscriptione, unâ cum cæteris Imperij statibus
confirmârunt, quæ apud Gold. tom. 1. Constit. Imp. p. 347. re-
peritur. Quâ in dignitate Sigismundi, Friderici III. & Ma-
ximiliani I. temporibus continuò permanserunt, videatur
Gold. tom. 1. Constit. Imp. pag. 398. in Bulla Sigismundi
Imperatoris. Reformatio Imper: Friderici III. Francofur-
ti ad Mœnum Anno 1442. Item den Königlichen Land Frieden
zu Wormbs Anno 1495. auffgericht. Rec. Imp. de Anno 1500.
sub antea cit. Rubr. Quî autem post illa tempora factum
sit, ut pro Imperij statibus amplius habiti non sint, ex re-
cessibus Imperij liquidò non apparet; Illorum autem opi-
nio tolerari potest, qui nobiles hanc dignitatem amisisse
arbitrantur, ex quò tempore oneribus atq; collectis Impe-
rij sese exemerunt. Quò autem tempore hæc exemptio con-
tigerit, hætenus mihi est incompertum. Ex omnibus ta-
men istis constitutionibus, quas inter annum 1500. & 1521.
in Imperio sancitas habemus, liquidò apparet, hunc nobi-
litas ordinem comitijs nunquam interfuisse, multò mi-
nus suâ subscriptione publica hæc Imperij decreta confir-
masse.

LXXXV.

Accessit postea celeberrima illa Imperij matricula Anno 1521. ab Imperatore & cunctis Imperij proceribus constituta, in qua nullam omnino Equestris ordinis mentionem factam esse videmus, nec persuadere nobis possumus, post illam, huic ordini jus Comitiorum unquam iterum obtigisse. Quamvis enim dubium non sit tres illas nobilium classes etiamnum hodie immediatè Imperatori atq; Imperio esse subjectas, iisdemq; ferme privilegiis, quibus ceteri Imperij status, gaudeant, eorumq; contemplatione ceteris etiam Imperij statibus annumerentur: ex suprà dictis tamen, ubi de requisitis veri atq; legitimi Imperij status pluribus egimus, manifestò apparet, utrum equestri ordini ullus inter ceteros imperij status locus meritò dari possit. Neq; enim omnes Imperij cives, qui Imperio immediatè subsunt, ad observationem etiam decretorum, præstationem communium Imperij collectionum tenentur, jus item austregarum habent, atque pacis religiosæ beneficiò fruuntur, Ius quoq; comparendi sessionis atq; suffragij in comitiis Imperij habere, per text. ord. Camer. Imp. p. 2. tit. 3. & 5. Denais. in jure Cam. tit. 157. & seqq. Petr. Syring. *diss. de pace Relig. th. 7.* Videatur etiam Besoldus in *dissert. de ordine Equestri num 11. 2. & 13.*

Sciendum tamen est, & rectè à Besoldo observatum, quamvis nobiles immediatè Imperio subjecti mera quoque atq; indictiones Imperij subire teneantur, ex eò tamen tempore, quò ad publica Imperij comitia citari desierunt, non in partem onerum vocatos, ut ceteros status, denen ihr gewisser anschlag aufferlegt / sed ab Imperatore requisitos vmb etne mitleidentliche Hülffe ohne einigen gewissen anschlag. Patet hoc ex pluribus recessib. Imperij, imprimis verò ex illo de Anno 1500. §. wir oder der an vnser stat. II. Regalia illa, quæ nonnullis ex nobilibus istis imperio immediatè subjectis competunt, non ex jure territoriali originem ducere, multò minus per investituram sub qualitate, der hohen Landes

Sürstlichen oder Landes hohen Obrigkeit ipsis conferri; sed, si
quæ habent, ex peculiari Imperatoris concessione, vel præ-
scriptione quadam præcipuisse. Et tantum etiam de liberâ
Imperij Nobilitate præstatur eodem de argumentò Besol-
dus supra citat. discurs. & Iosias Nolden antea memor. dis-
fertat. Item Tiraquellus de Nobilitate c. 6. n. 51. Albertus
Brunus *Consil.* 103. Laurentius *Sylva. Conf.* 78. n. 5. Ludolphus
Schrad. de Feud. part. 10. sect. 7. n. 59. De civitatibus, infimò Im-
perij statu, paucis.

LXXXVII.

Antiquam Germaniam nullas aut certè raras habuif-
se civitates ex *Tacit. l. de Morib. German.* fatis est notum. In
causa fuit bellicosus atq; ferox majorum animus; perpetu-
is distinebantur bellis, nec diu uno quodam in locò pote-
rant consistere. Primæ quod equidem sciam, urbes ad tra-
ctum Rheni fuerunt ædificatæ, iis potissimùm in locis, ubi
Romani castra olim habuerunt. Francorum postmodum
potentiâ longè lateq; sese diffundente, auctus quoq; magis
magisq; urbium numerus legitur; nec opus esse ducimus id
quod per se notum est, pluribus exemplis illustrare. Paucis
saltem de antiquâ civitatum dignitate, jurisdictione, pote-
state, & postmodum subsequitis mutationibus differemus.
Repetendum autem primò ex superioribus est, Francos om-
nes bellò partas Provincias, more Romanis consuetò in
Provincia formam redactas, per ministros suos, Duces ni-
mirum atq; Comites administrasse. Omnes istæ civitates
juramentum fidelitatis novo semper præstabant Impera-
tori, sicuti Gregorius Turon. *lib. 7. c. 7. & 12.* pluribus nar-
rat. Ita etiam de Ludovico Piò legitur, illum omnes obiisse
Provincias, Civitates atq; à singulis juramentum fidelitatis
exegisse. Quâ de re peculiare etiam in Capit. Francorum
leges extant *lib. 3. c. 88.* Forma item juramenti in Caroli Ma-
gni Constitutionibus *fol. 263. edit. Mogunt.* reperitur. Quo-
rum sub regimine nulla omnino civitatum fuit autoritas,
nulla propria jurisdictio, nullum item privilegium atq; im-
munitas. Singulis civitatibus unus præsidebat Comes, qui
nomine

nomine Imperatoris omnimodam jurisdictionem exercebat. Hi Comites, eorumque præpositi si quando ipsi abessent, suos habebant scabinos, atque Iudices per Regios missos cum comite & populo cujuslibet civitatis electos. Patet hoc ex Capite. lib. 3. c. 40. & Capit. lib. 3. c. 35. Quod ita habet; *Missi nostri scabinos per singula loca eligant & eorum nomina quando reversi fuerint, secum scripta deferant. Item missi nostri, ubicunque malos scabinos inveniunt, eiiciant & totius populi consensu in locum eorum bonos eligant. Scabinis atque iudicibus hoc modo electis à Missis Regiis juramentum fidelitatis deferebatur, ut legitur in Capit. Addit. l. 4. c. 75. & 76. Missi nostri cum sensu totius populi Scabinos bonos eligant, & cum electi fuerint iurare faciant, ut scienter iniuste iudicare non debeant, & adiutores comitum sint ad iustitias faciendas.* Et hæc antiquissima Francorum sub Imperio civitatum erat conditio. Quamdiu verò eò in statu permanferint porrò nobis erit inquirendum.

LXXIIIX.

Sæculò nonò, sub Caroli Magni atque successorum Imperio, nihil omnino mutationis in civitatibus contigit. Eò enim tempore eadem semper mansit reipubl. forma, eadem etiam Ducum, Comitum, cæterorumque regionum ministrorum dignitas atque officium. Civitates soli Imperatori atque imperio erant subiectæ, adeoque meritò imperiales civitates sive *Städte des Reichs* appellabantur. Quamdiu autem hoc in statu permanferint & quò primum tempore libertate aliisque immunitatibus ac juribus dotatae fuerint, scriptores aliter atque aliter referunt. Nobis tamen admodum verosimile est, originem immunitatis libertatisque civitatum in Germania ex parte illis temporibus aut certè non ita multò post incepisse, iisdemque ferme occasionibus ascribendam, quibus Ducatus, Marchionatus, Comitatus similesque dignitates successorie factæ sunt. Eò ipso enim, quò provinciæ Ducibus atque Comitibus in feudum concessæ fuerunt, quasdam etiam civitates unà in Comitum atque Ducum potestatem atque jurisdictionem transisse verosimile est. Non quod civitates majorem libertatem ullaque immunitates hoc ipso

adeptas esse existimem, sed quod ex illo tempore mediatè imperio subesse cœperint atq; imperiales desierint appellari. Illud tamen certò nobis persuademus, ex ista Imperatorum liberalitate duplicem civitatum ordinem atq; dignitatem esse enatam. Aliæ nimirum provinciales dictæ sunt, aliæ imperiales manserunt civitates. Hæ Imperatoris, illæ Statuum imperio atq; jurisdictioni erant obnoxia, antiquò videlicet regiminis atq; subjectionis modò in imperialibus remanente; in provinciales verò, quæ gubernationis forma à Ducibus atq; Comitibus introducta sit, hæcenus mihi est incompertum.

LXXIX.

Quò autem primùm tempore libertas civitatum Imperialium cœperit, privilegia ipsis concessa, propriiq; magistratus indulti sint, nò ita certò nobis constat. Christoph. Lehm. *in Spir. Chron. lib. 2. c. 18. & lib. 4. c. 1. 2. & 3.* Ottonum tempore initium sumfisse existimat; Verùm ut mihi quidam apparet, mera tantùm conjectura est, fideq; historicâ destitui videtur. Quicquid tamen hujus rei sit, illud certum est atq; indubitatum, magnam Ottonis I. fuisse liberalitatem, ejusq; sub Imperio quàm plurimas Provincias illustribus familiis in feuda hæreditaria esse concessas, adeoque verisimile admodum est, civitatibus etiam nonnullis libertatem, aliasq; immunitates obtigisse. Quæ civitates postea dictæ sunt *Freie Reichstädte* quâ nota distinguuntur ab his, qui simpliciter Imperiales sive *Reichstädte* permanserunt. Hujus Imperatoris exemplum successores sunt imitati atq; ita temporis progressu numerus liberarum civitatum indies magis magisq; auctus fuit. Quod suò testimonio confirmat Rhenanus *lib. de German. antiq. Sub Saxonibus*, inquit, *libertatem nacti sunt, non solum Provinciarum Gubernatores (Duces & comites) sed & civitates ipse; Nam ut quæq; plus honorum, quæ ad Regnum pertinebant habuit, ita maturius & facilius ad libertatem pervenit.* Et cum inter Henricum IV. & nonnullos Episcopos gravissimæ gliscerent contentiones, & nonnullæ civitates ad Rhenum sitæ, fortiter partes Henrici IV. propugna-

pugnarent, Imperator hoc tantum beneficium ipsis remun-
neraturus, libertate donatâ, propriâ reliquit jurisdictioni,
nec ut olim Comitum Imperio ac jurisdictioni erant sub-
jectæ, nec ullum præter Imperatorem superiorem agnove-
runt. Sub Conradô ultimô Sveviæ Duce Augusta Vindeli-
corum privilegia liberæ Imperialis civitatis accepit. *Crus.
annal. p. 3. lib. 7. c. 17.* Sub Friderico I. idem civitati Regensburg.
Anno 1355. obtigisse restatur *Otto Frising. lib. 2. de gest. Frider.
c. 28.* De civitate Lubeccensi Theodor. de Niem ita scribit:
*Fridericus primus Imperator insignem civitatem Lubeccensem in fini-
bus Saxonis, & fronte Regni Dania consistentem, qua tunc erat
prædicti Ducis (Henrici Leonis) Romano Imperio in perpetuum an-
nexuit & univit. De quam plurimis aliis vid. Christ. Lehm.
lib. 4. c. 3.*

X C. *Quibus ita positis manifestum est, alias esse Provincia-
les, alias Imperiales, alias item liberas Imperij civitates, Illas
Reichsstädte / has freye Reichsstädte appellamus, totidemq;
adhuc ordines etiamnum hodie in Imperio reperiri certo
nobis persuademus; An autem realis quædam distinctio in-
ter ipsas constitui possit, diversissima Doctorum sunt judi-
cia. Theod. Reinking. lib. 1. Class. 4. c. 20. omnino negat.
Compilatoris tamen Cameralium decisionum sententia
proximè ad ipsam rei veritatem accedere videtur, verba
ejus sunt: *Si differentia inter liberas & Imperiales civitates subesse
censeatur, semper pro eò habitum est: unam civitatem Imperialem plus
altera liberam esse; ita ut cives à tributis vel iure migrationis sint im-
munes: Mox addit: audivi & aliam rationem quod plurimæ civita-
tes Imperii (præcipuè Italia) teneantur Imperatori quotannis, ad cer-
tam pecuniariam summam, quasi pro tributo vel subsidio, aut aliam
similem in recognitionem, si non quotannis, tamen certis modis & con-
ditionibus, puta quotiescunq; Imperator civitatem aliquam transire
vel ingreditur; cuius rationis intuitu non sunt liberæ, sed merè &
proprie Imperiales. Tributum illud seu vectigal quod eiusmodi civi-
tates persolvere cogebantur, appellantur in Capit. Francorum, Fode-
rum, Pavada & Mansionaticum. Hac ille. Quæ etiam valde**

probantur *Christ. Lehm. lib. 4. Chron. Spirens. c. 4.* Quò cum nos etiam facimus, existimantes hanc civitatum differentiam olim in Imperio fuisse receptam, liberaſq; Imperij civitates illas esse dictas, quæ & immediatè Imperio subfuerunt, & præ cæteris magnas immunitates atq; amplissima privilegia ab Imperatoribus acceperunt. Imperiales simpliciter ita dictæ, Imperatorem quidem pro superiore agnoverunt, cum prioribus tamen illis privilegiorum atque immunitatum intuitu nullo prorsus modò conferendæ.

XCI.

Et quamvis Imperatores decimò nimirum & sequentibus sæculis, civitatibus privilegia quædam atq; immunitates contulerint, existimandum tamen non est, eosdem eò ipso omnem à sese potestatem atq; jurisdictionem abdicasse: sed præter jura summa majestatis, plærumq; sibi reservarunt ea, quæ vel meri fuerunt Imperij, vel ad fiscum Regium pertinere, quò omnes olim provinciarum redditus pertinuisse supra demonstravimus. Testatur id *Crusius antea cit. loco quando ita scribit: A Conrado ultimò inquit, Suevia Duce cives Augustani se suaque in libertatem non parvò asseruerunt argento. Fridericus enim II. Advocatiam urbis & præfecturam Regionis filio suo Conrado Regi & hic Cunradino filio reliquerat. Nunc verò utraque subiectione (dix. Land Stadt Bögten) liberati in posterum ipsimet sibi ex suis municipibus ingenuis (nullo amplius vel ducis vel provincie præfectorum impediante præscripto) proprium senatum eligere, & civitatis curatores Decemvirosve, (Magistros tunc civium dictos, Burgemeister Consules) & præfectos urbis, adhuc Stadpfeleger appellari solitos liberè creare caperunt, ex quorum consiliò & industriâ totius Reipubl. sue gubernatio penderet: Capitalia tamen iudicia maleficiorumque actiones, ut olim ita & posthac penes Imperatoris vicarios Regionis & loco eorum civitatis præfectos manerent &c.* Idem exemplum de civitate Ulmensi refert *Naucler: vol. 2. gen. 27. Crusi. Annal. 2. lib. 1. c. 7.* quorum verba prolixitatis vitandæ ergo hic inferere nolui. De iis verò civitatibus quæ in Ducum tum potestatem tum jurisdictionem Imperatorum liberalitate olim pervenerunt, eodem quoque modò sese

fese rem habuisse testatur *Lehnm: in Chro: Spirens. l. 4. c. 7.*

omne sub reboc: mior: XCII
Hodie quantum ex Imperij novissimis constitutionibus, catalogoq; statuum iis annexo apparet, promiscue hæ civitatum appellaciones usurpantur, nonnunquam etiam copulativè conjunguntur, *Freyn vnd Reichstädte R. Absch. de Anno 1542. S die freye vnd Reichstädte auch andere Städte so den Fürsten vnd andern Herrschafften zugehörn / R. Ab. de anno 1544. S. vnd nemlich sollen alle / ibi, die freye vnd Reichstädte; adeoq; dicendum foret, omnes iisdem gaudere immunitatibus. atq; privilegiis omnes jus sensionis atq; suffragij in publicis Imperij Comitibus habere. Verum non omnibus & exemptis civitatibus illud reapse jus competere, quotidiana consuetudo satis demonstrat; & hac sanè ratione inter ipsas omnino differentia foret constituenda, nec tamen an istæ exemptæ civitates, quæ actu jus suffragij in comitiis non habent, jus illud debeant habere nec ne, nos operose non disputabimus. Vid. Reink. lib. 1. cl. 4. c. 19.*

XCIII
Liberæ autem Imperij civitates *freye Reichstädte* quando jus Comitiorum consecutæ sint, ex historiâ non ita liquido constat. *Ottonum* tempore paucæ admodum, si modo ullæ, Comitibus interfuerunt, aucta tamen postmodum indies magis magisque earum libertate, majoris quoque in Imperio autoritatis atq; dignitatis fuisse testatur *Christ. Lehnm. lib. 4. c. 4.* Tempore *Friderici I.* Consules civitatum Italiae comitiis Imperij interfuisse testantur decreta ejusdem Imperatoris in comitiis ad *Roncalias* habita. Exstat apud *Gold. tom. 2. Const. Imp. p. 335.* Idem ex ejusdem *Friderici I.* Iuramento statibus Imperij præstito probari potest, quod ita habet: *In Christi nomine iuro non solum Principum, sed civitatum consilio negotia confederationis & collegia universitatis tractanda esse.* Ex eò autem tempore, quin in eò semper statu atq; dignitate permanserint, nullum nobis dubium est. Vnde tamen certè non liquet, an idem etiam urbibus Germanicis competierit. In *Caroli IV. Aur. Bull. in fine princ. ceteris*

Im-

Imperij statibus annumerantur. Argumento etiam sunt
verba Sigismundi Imperatoris in reform: Eccles. de anno
1426. c. 3. vnd ihr würdige Reichstädte/so man alle Welt rechnet/
so seid ihr doch Glieder die an dem Reich re. Quid multis, cele-
berrima illa matricula de anno 1521. à Carolo V. statibusq;
Imperij confecta, satis demonstrat, quò locò & quâ digni-
tate hodie in Imperio nostrò haberi debeant. Nam I. ad
Comitia his verbis citantur, mit vnd neben allen andern Stän-
den helffen handeln / Rathschlagen vnd schliessen/ II. in publicis
Imperij deliberationibus dispertiuntur die Rheinische vnd
Schwäbische Banc nec tantum consultivum, sed etiam de-
cisivum votum habent, III. Publica Imperij decreta ab i-
psis sigillò atq; subscriptione muniuntur. Eò ipso autem,
quò civitates pro statu Imperij habendi sunt, jura quoque
Territorij ipsis competere necesse est. Quamvis autem hæc
omnia latius à nobis deduci possent, siquidem multis con-
troverfiis hoc argumentum involutum est, temporis tamen
rationem habere, & ad ea, quæ de Ecclesiasticis statibus di-
cenda restant, properare cogimur: id quod pace lectoris fi-
eri posse speramus.

XCIV.

Priusquam autem de dignitatibus istis atq; officiis Ec-
clesiasticis speciatim nostrum discursum persequamur, pri-
mò quædam in genere de Ecclesiasticis beneficiis, quatenus
nimirum nostro inserviunt instituto, præmittemus; Bene-
ficium autem Ecclesiasticum nihil aliud est, quàm Ecclesia-
sticum bonum temporale, pro Ecclesiasticis hominibus in
Ecclesiis laborantibus sustentandis. Quæ definitio primis
Ecclesiæ temporibus optimè convenit, eò quod tum tem-
poris Ecclesia nullas proprias possessiones, aut prædia ha-
beret, neminiq; licitum esset, bona sua immobilia Ecclesiis
relinquere; sed omnia ea, quibus Ecclesiæ sacerdotes primis
fæculis sese sustentabant, in Decimis atq; Eleemosynis con-
sistebant. Primus ex sententiâ M. Antonij de Dom. Constan-
tinus Magnus in l. 1. C. de sacros. Eccles. hanc Ecclesiis licentiam
tribuisse videtur, ut præter oblationes istas, quæ in pane ut
pluri-

plurimum, vino, nonnunquam etiam in reliquis ad vitam necessariis consistebant; prædia etiam à piis oblata potuerint retinere, quas immobilium oblationes hodie fundationes, seu dotationes beneficiorum rectè appellare licet. Hujusmodi autem Ecclesiis dotatis semper certus ministrorum numerus fuit constitutus, ne vel paucitate servitium Ecclesiæ impediretur, & redditus Ecclesiastici occasio avaritiæ essent, aut ipsa Ecclesia eò ipso in summam paupertatem incideret. *Duarenus lib. 2. de beneficiis Eccles.* aliam nobis proponit beneficii definitionem, suâ ex sententia præsentis Ecclesiæ statui magis convenientem. Esse nimirum beneficium talem rem Ecclesiasticam, quæ sacerdoti vel Clerico ob sacrum ministerium utenda in perpetuum concedatur. Vtrum autem hoc reverà ita sese habeat brevi post manifesto apparebit.

XC V.

Illorum autem beneficiorum dispensatio Episcoporum arbitrio tum erat commissa, ob cupiditatem tamen quorundam parum rectè atq; sincerè administrantium, canones veteres modum rationemq; dispensandi præscripserunt: nempe ut una pars pauperibus distribueretur, altera Clericis, tertia in ædificationem templi impenderetur, quartam Episcopus hospitalitatis exercendæ causa haberet. Verosimile tamen est, hoc Ecclesiæ optimum institutum non ita diu stetisse, sed singulis ministeriis certos postea redditus assignatos, eosq; suo arbitriò administrasse sine ullius Episcopi autoritate; quos redditus nos hodie vulgò beneficia appellamus.

XC VI.

Porrò sciendum est, omnia beneficia, prout hodie accipiuntur, non ejusdem esse qualitatis. Quædam enim titulum dignitatis, ut Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatia &c. Quædam habent curam animarum, ut parochia. Alia neq; dignitatis titulum habent, neq; curam animarum, sed simplicia nudaq; beneficia sunt. Inter quæ tamen aliqua differentia reperitur. Nam quædam aliquid ornam-

namenti atq; decoris habent, ut Canonorum præbendæ. Quædam infima sunt & humillima. Præbendæ autem propterea majoris cujusdam dignitatis atq; splendoris existimantur, quod Canonici in Collegio jus suffragij habeant: licet olim etiam Canonicus Præbendarius dicebatur is, cui ex communi bonorum Ecclesiæ massâ alimenta præbebantur, adeoq; verisimile mihi fit, Canonicos non modò à Regulâ esse dictos, eò quod juxta regulas ordinati fuerint; sed fortassis etiam à Canone i. e. annuâ pensione sive annonâ, quæ illis distribuebatur, qui in Collegium ministrorum cooptabantur. Et *Marc. Anton. de Dom. lib. 6.* ejusmodi præbendam Canonem olim fuisse appellatam arbitratur.

XCVII.

Quemadmodum autem in seculari politiâ inter honorem & munus accuratè distinguitur. Honorem is habere dicitur, cui incumbit Reipubl. administratio cum dignitatis gradu. Munus verò cui quidem confertur administratio sine titulò tamen dignitatis. Sic in Ecclesia quædam administrationes titulum dignitatis habent, idq; accidit, quoties administratio cum jurisdictione & potestate quadam conjuncta est. Dignitati autem triplicem nos tribuimus significationem. I. Latissimam, quâ omnis gradus Ecclesiasticus includitur. II. Strictiorem, quâ continetur administratio cum jurisdictione conjuncta. Tertia significatio includit Archidiaconatum, & alia officia prioratum videlicet, conventualem, & generalem Episcopi vicarium. Quâ tamen dignitatis appellatione Episcopatus non continetur, sed ad secundam pertinere arbitramur. Et tantum de natura Ecclesiastici beneficij dixisse sufficiat. Nunc de personis, quibus ea conferuntur, erit dicendum.

CXIX.

Primis Ecclesiæ temporibus in illis civitatibus, in quibus Christus colebatur, administratores quidam Ecclesiarum constituebantur, quos sacerdotes, propterea quod sacerorum curationem haberent, plerumq; etiam presbyteros, id est, seniores appellabant, quod prudentiâ & gravitate

tate venerabiliores ceteris essent. Nonnunquam appellati quoq; sunt Episcopi; sicuti Divus Paulus etiam duobus his vocabulis promiscuè utitur. Posteaquam autem cooperante Spiritûs Sancti gratiâ indies magis magisq; auctus esset fidelium numerus, nec tantùm civitates, verùm integræ etiam diœceses & magni districtus Christianam Religionem profiterentur; aliâ quoq; Ecclesiæ gubernatione erat opus; & ex illo tempore non tantùm plurimi accesserunt presbyteri, sed istis etiam in unaquaque Ecclesiâ unus Episcopus tanquàm caput præerat. Hi presbyteri in ipsis ministeriis exercendis à nutu & voluntate Episcopi dependebant, nihilq; prorsus sine jussu aut consensu Episcopi circa Ecclesiasticum Regimen agere poterant. Vnde patet antiquissimum in Ecclesiâ Episcoporum atque presbyterorum ordinem fuisse. Quibus postmodum etiam Chorepiscoporum ordo accessit, quos Episcopi in oppidis celebrioribus suæ diœceseos, & in suis etiam cathedralibus suos vicarios collocabant: Nunquam autem Chorepiscopi pleni fuerunt Episcopi, nec tantam, quantam illi, potestatem poterant exercere. Hodie Vicarij Episcopales in horum locum sunt substituti.

X C I X.

Verùm quum Christiana Religio totum jam occuparet Romanum imperium, verendumq; esset, ne inde confusio quædam in Ecclesia oriretur, pristina Ecclesiæ facies non nihil est immutata: & dignitas Metropolitanorum & Patriarcharum in Ecclesiam est introducta; illisque totius alicujus provinciæ Episcopi suberant, nec quisquam illorum sine consensu vel jussu Metropolitanani in rebus Ecclesiasticis quicquam statuere poterat. Quemadmodum autem Episcoporum potestas ad certa loca & diœceses ob metum schismatum, aliarumq; confusionum, adstricta fuit; ita ab Ecclesiâ constitutum fuit, ut certus Episcoporum numerus Episcopum in Metropoli sedem habentem pro superiori agnosceret, & ad ipsius arbitrium Ecclesiam administraret. Idem autem Metropolitanus, sive etiam plures, in certis casibus & occasionibus uni Primati, qui in Regiâ quadam ci-

vitate residebat, subijciebantur. Quibus omnibus tandem optimo Ecclesiae instituto unus Patriarcha praepositus fuit. Hujus vero ordinis nulla alia occasio, nullus alius finis fuit, quam schismatum aliarumque perturbationum atque confusionum evitatio. Ista autem Patriarchalis dignitas jam tum ante Concilium Nicenum consuetudine invaluerat, per illud autem concilium confirmata est, quatuor Patriarchis constitutis, Romano, Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano, quibus postmodum Constantinopolitanus accessit. Verum utilissimum hoc & optimum Ecclesiae institutum, seculis seculis in magnum abusum abiens multis schismatibus occasionem praebuit: id quod ex sequentibus apparebit manifestius.

C.
Inquirendum nunc porro erit, penes quem tum Electio personarum, tum collatio Ecclesiasticorum beneficiorum sita fuerit. Ecclesiasticam Hierarchiam institutam Episcoporum atque presbyterorum electio, Cleri atque totius populi suffragio peragebatur: idque non tantum Apostolorum tempore, sed etiam diu post in Ecclesia obtinuit. Idem constituitur in *c. Episcopus 24. dist. c. 11. dist. 67.* Aucto tamen postmodum Episcoporum numero, ne forte confusio quaedam ex ejusmodi inordinata Episcoporum electione oriretur, istorum electio a collegio Canonico cathedralis Ecclesiae facta est. Quam tamen in electione caeteri Clerici praeter Canonicos nulla suffragia habuerunt, multo minus Laicis antiquo more ejusmodi actibus interesse licuit. Peractam autem eo modo Electionem confirmatio Metropolitanus requirebatur, nec ante electus quicquam administrandi facultatem habebat. Confirmationem sequebatur consecratio, quae non nisi ab Episcopis provincialibus auctoritate Metropolitanus accedente fieri poterat.

CI.

Antiquissima igitur, ut patet, sacrorum munerum beneficiorumque collatio, cujuscunque etiam generis fuerunt, penes presbyteros & universum populum sita fuit. Populo enim

enim invito nullus dabatur vel presbyter vel Episcopus, sed istæ dignitates tum Cleri tum populi suffragiô conferebantur. Qui mos non tantum usq; ad Concilium Nicænum in Ecclesiâ viguit, sed diu etiam post observatus fuit; id quod Marc. Ant. de Domin. *lib. 6.* ex patribus, ex Conciliis & ex Rom: Pontif. attestationibus atq; decretis pluribus demonstrat. Idem olim in Germania Caroli M. & Ludovici Pij temporibus obtinuisse testatur *Capit. lib. 1. c. 84.* quod ita habet: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine Sancta Ecclesia suo liberius potitetur honore, assensum ordini Ecclesiastico prebuiimus, ut scilicet Episcopi per Electionem Clericorum & populi, secundum statuta Canonum de propria Diocesi eligantur.* Praxin autem tunc huic Imperiali decreto fuisse conformem patet ex epistola Hincmari apud Baronium *tom. 9. Anno 813. n. 27. 28.* Quem etiam morem Bernardi temporibus adhuc durasse M. Anton. de Dom. ex ipsius *epistolis 13. 27. 121. & 202.* demonstrat. Postmodum tamen solis Canonicis, excluso etiam Clero, multo magis autem populo, sacrarum istarum dignitatum atq; minorum collatio relicta est. Laicorum enim consensum principes seculares ob multa inde orta incommoda ad sese traxerunt. Hodie autem sede Episcopali vacante Capitulum Episcopo immediatè succedit & ab illorum arbitrio novi Episcopi electio atq; surrogatio dependet. Hoc autem utilissimum Ecclesiæ institutum quamdiu illæsum servatum fuit, dum rectores Ecclesiæ suos se intra limites continerent, proprioq; munere atq; officio essent contenti, pulcherrimus in Ecclesia ordo viguit, nulla confusio, nulla turbatio eandem afflixit. Posteaquam autem ambitio, dominandi libido atq; avaritia ceperunt & Metropolitanos, præcipuè autem Patriarchas, potissimum tamen Romanum exagitare, turbulentissima Ecclesiæ tempora sunt subsecuta. Sua enim illa immani Monarchia, Marc. Anton. de Dom. *cit. loco.* ait, *ex legem fecit omnibus Canonibus superiorem, iisque conculcatis, aliena sibi iura rapuit, & Ecclesiam Christi fecit sylvam frementium bestiarum.* Ita Gregorius IX. Constitutione quadam *c. Messana. ext. de Elect.* Laicis electionem

tionem omnino adimit & consuetudinem ex Apostolica
constitutione proficiscentem vocat Corruptelam. *ingib. s. s. s.*
CII. *Quintus non omnino*
Perperam itaq; facit Pontifex, imò falsâ persuasione
ducitur, dum Episcopatum collationem sibi soli tribuit,
neminiq; sine ejus permisso Ecclesiasticò aliquò munere
fungi licere; hoc enim non tantum magnæ temeritatis ex-
emplum est, verum etiam Doctrinæ Christi & antiquissimis
Canonibus Ecclesiæ repugnat, quod pluribus declarat
Marc. Anton. de Domin. lib. 2. c. 8. Neq; quicquam huc fe-
cit, quod Romana Ecclesia pro principali semper habita
fuerit; inde enim non sequitur, isti ecclesiæ Imperium atq;
Dominatum in cæteras Ecclesias Christi jure competere;
erat enim Marc. Anton. de Dom. inquit, & est Ecclesia (Roma-
na scilicet) præcipuâ nobilitate, existimatione & nominis & digni-
tatis autoritate, non Regiminis & iurisdictionis principatu. Hinc
idem de Rep. Ecclesiasti. lib. 2. c. 8. rectè ita sentire videtur,
*unumquemque nimirum Episcopum, iure divinò habere potestatem
indefinitam ac illimitatam, respectu locorum atque subditorum: li-
mitationem verò & separationem particularium Ecclesiarum
totam esse iure humanò Ecclesiasticò constitutam, nec ullum esse Episco-
pum in terris, qui actualem habeat in totam Ecclesiam totius mun-
di iurisdictionem: sed in unoquoque Episcopò non minus quàm in Ro-
mano illam esse in habitu seu actu primò. Et non minus unumquemq;
Apostolum, quàm Petrum, ex officio & proprio munere Apostolatûs ac
Episcopatûs, autoritatem à Christo habuisse Ecclesiam propagandi. Et
hanc autoritatem ab Apostolis, quam illi & singuli, & universi habe-
bant, plenissimam translata fuisse: ac Patriarchas ac Metropolita-
nos, imò etiam simplices Episcopos hanc autoritatem ut propriam,
& non à Papa commissam per multa secula exercuisse. Occasionem
autem, quâ Pontifices hanc ad se traxerunt potestatem, à
commendationibus Pontificum originem ducere verosimile est. Primò enim alienis Ecclesiis populo vel Clero per-
sonam commendabant, quod in Galliis sæpe factum antea
memoratus autor testatur. A simplici autem ista commen-
datione factus est transitus interdum ad liberam collatio-
nem,*

nem, quæ tamen admodum rara fuit, & quia rara, ideo etiam tolerata, inde etiam ad præceptum tandem, & mandatum ordinarium de providendo in vacaturis, quæ fuerunt gratiæ expectativarum; In his autem expectativarum mandatis Pontifices non erant collatores, sed petitores, & cum præcepto quodam commendatores. Ejusmodi demum commendationes ad vim apertam eruperunt, & ereptis, ubi potuerunt, Electionibus Episcoporum Cleris atq; populis, jus ad se traxerunt, factis sibi expressis reservationibus primum (c. si eò tempore de Elect. in 6.) particularibus dum aliqua vacaret Ecclesia: deinde etiam generalibus. Narrante enim eodem autore Bonifacius XI. collationem muniùm Ecclesiasticorum tantùm ad Patriarchales sedes, & quidem Romanam, pertinere sancivit, quamdiu nimirum Ecclesiæ schismaticorum subessent ditio. Postmodum ejus successores generalem omnium cathedralium reservationem introduxerunt, omnes electiones Episcoporum ad solum Romanum Pontificem reducentes, per regulas quas excogitarunt Cancellariæ, quarum primam observationem Sixto IV. tribuit M. Anton. de Dom. Quibus tamen reservationibus fortiter olim sese opposuit Concilium Basiliense, ex quò Gallicana Ecclesia, ut notum est, & à Duarenò *in lib. de benef. Eccles.* optimè demonstratum, suam sibi formavit pragmaticam voluitque omnino, ut juxta Basiliensia decreta electiones Episcoporum in isto Regnò fierent à Cleris & populis, prout semper tota servavit Ecclesia; sicuti hoc si fieri potest, in sequentibus pluribus à nobis declarabitur. Quid igitur beneficium Ecclesiasticum sit, quæ primæ in Ecclesia dignitates fuerint, & penes quas collatio earundem sita fuerit, quò item pacto, & quibus artibus eam potestatem Pontifices ad se rapuerint, ex iis quæ dicta sunt, perspicuum est; pluribus enim ea declarare hac vice mihi non est permissum.

CIII.

Verùm cum notum sit, neminemque, qui exiguam saltem patriæ historiæ cognitionem habet, fugere possit, has

Ponti-

Pontificum reservationes, atq; illam de investituris controversiam magnos atq; perniciosissimos in Imperio nostro motus dedisse, de istis Pontificum injustis conatibus, quando nimirum cæperint, & celeberrima ista de investituris controversia inter ipsos & Imperium Romanum & per aliquot sæcula acerrimè agitata, aliisq; quæ eò pertinent cognitu necessariis, quam brevissimis fieri poterit, differemus. Principiò autem ex superioribus repetendum erit, Apostolorum & seculis temporibus, Episcopos & sacerdotes sine Laicorum consensu non potuisse constitui; Principes seculares hunc consensum ob quam plurima inde incommoda oborta postmodum se traxisse. Deinde omnia illa bona, quæ primitiva olim Ecclesia habuit non tantum exigua; sed mobilia etiam, adeoq; plerumq; usu consumtibilis fuisse. Quamdiu autem Ecclesia ejusmodi bonis temporalibus carebat nimirum prædiis, villis, castellis, civitatibus, & ejus generis aliis immobilibus, nullamq; exercebat temporalem jurisdictionem, principes seculares nullam ferè habebant causam, cur in prælatorum institutionem se possent aut deberent ingerere: Solus enim Christianæ plebis unanimis consensus concurrebat Episcopis constituendis. Postquam verò ditata sunt Ecclesiæ bonis ejusmodi temporalibus, imò jurisdictione feudisq; secularibus, Principes sibi retinuerunt investituras; quæ contentiones gravissimas Gregorio VII. autore tum in nostro, tum aliis occidentalibus Imperiis excitârunt.

CIV.

Investituræ igitur ut patet, nihil aliud sunt, quam expressus assensus in Electionem ab Ecclesiâ factam, & in Electum traditio atq; consignatio bonorum quorundam temporalium, quæ Ecclesiis sunt annexa. Et si nullo aliò nomine investituræ Principum ut justæ ac legitimæ defendi possent; optimè defenduntur ratione bonorum temporalium, prædiorum & possessionum, ac multò magis ratione regalium; (quæ tamen ferò ad Ecclesiasticum ordinem pervenerunt) ubi Ecclesiasticis concessa sunt oppida & civitates cum
juris-

jurisdictione temporalis: Nam ratione horum Ecclesiasticorum omnino subduntur Regibus, & ab ipsorum sicut ipsa bona terrena, ita etiam Ecclesiastici ea tenentes pendent potestate. Si enim jure Regum Ecclesia possidet temporalia, profecto à Regibus ea debent Ecclesiastici accipere, atque ex hoc capite temporalium & Regalium investituras ad Reges pertinere, & Doctores tradunt, & Imperatores sunt professi: Imò Episcopi, Clerici, omnesq; Ecclesiæ status, etiam si nihil temporale (quod tamen vix reperitur) possideant, ex eò tantum, quod sunt subditi sui principis, & pars Reip. civilis; merito, si ita visum fuerit Principibus, cogi possent, ut fidelitatis eis præstent juramentum. Et certò certius, inquit Duarenus lib: de benef. Eccles., nullo unquam tempore sive Canonicos, sive Monachos tantum potuisse, ut sine permisso Regis electionem aliquam ipsis liceret celebrare. Eodemq; jure Imperatores, ac Reges alios plerosque usos fuisse, constat etiam ex Electione Romani Pontificis. Sanè ne vetustissima exempla proferamus à primordiò Regni Teutonici Electiones Papæ Rom. & Episcoporum in manu ac potestate non modò Regum Odoacri videlicet. *Gold. tom. 3. Constit. Imp. & Theodorici. Idem eodem tom. p. 95. 612. 613. sed & Patritiorum, Pipini, Carolomanni & Caroli fuerunt. Sic Gregorius V. Ottonis III. favore, qui tum Romæ erat, ad Pontificatum est assumptus. Guicciard. in discurs.* Eundem etiam Imperatorem potestatem habuisse deponendi atq; constituendi Pontifices, constat ex actis Concil. Rom. ab ipso & Leone IX. celebrati; apud *Gold. Tom. 2. Const. Imp. p. 109.* Idem apparet ex Ludovici Pij constitutione apud *Gold. Tom. 2. Const. Imp. pag. 11.* Et ita per plura sæcula fuisse observatum multis exemplis declarari posset. Illud notatu dignum, post mortem Nicolai II. Hildebrandus unà cum cætero Clero Alexandrum Pontificem constituit, non impetratò prius consensu Imperatoris, quod tanquam novum & antea inauditum Imperator & Principes Imperij per Episcopum Coloniensem Romæ eà gratiâ missum graviter reprehendunt, testante Baroniò *Anno 1064.* Et Christoph.

Lehnmän. l. 5. c. 31. rectè loquitur, Dies sey die erste wieder-
sprechung der Käyser gerechtigkeit / dergleichen von Anfang kein
Bischoff noch Babst zu Rom wieder einen König oder Käyser
unterstanden / kan auch kein exempel auß derselben Historie an-
gezogen werden / daß ein Babst ohne bestätigung der Röm.
Käyser oder König sein Ambt rechtmessig verwaltet oder besessen.
Et sanè si Imperatoris assensus & confirmatio ad electionem
Pontifici necessaria fuerit; non video, quâ de causâ non i-
dem jus in collatione minorum dignitatum muniùmq; Ec-
clesiasticorum concessum fuerit.

CV.

Hinc Carolus M. licèt suis legibus Electiones voluerit
ad Clerum populùmq; pertinere, dignitates tamen Episco-
pales ipse ut plurimùm conferebat. Et Rex creatus investi-
turas Episcoporum determinavit, *ut non consecratur Episcopus,*
qui per Regem vel Imperatorem non introierit purè & integrè; testan-
te V. Valtramo Episc. Ejus etiam successores eâ prærogativâ
conferendi Ecclesiasticas dignitates usos fuisse, inde colligi
pöteft, quod incertus autor à Pithæo editus: *Rhabano*, inquit,
Episcopo Moguntino successit Carolus, magis ex voluntate Regis & con-
siliariorum, quàm ex consensu & electione Cleri & populi. Sic Hen-
ricus Ottoni III. succedens invitis fratribus Magdeb. qui
antiquam eligendi consuetudinem retinere volebant, dedit
Episcopum neglecto, quem elegerant. Sed ea ulterius ex-
emplis illustrare mihi non est permissum.

CVI.

Illud certum est, & ex Historiâ illius temporis, quod
Apostolos, & Pontificem Gregorium VII. intercedit; li-
quidò apparet, plerosq; Romanos Pontifices per 1000. &
ultra annos in Episcopis & Metropolitanis cujuscumq; loci
vel provinciæ, plenam potestatem ad beneficia conferenda
agnovisse, omnino existimantes ad seculares Principes &
Magistratus investuras ejusmodi beneficiorum pertinere.
Si qui autem fuerunt, qui hac in re quicquam juris atq; po-
testatis sibi arrogunt, moderatè sese gesserunt, nec fallaciæ
ipsorum speciosò prætextu involutæ apertè ita prorupe-
runt.

runt. Primus Gregorius VII. liberè, apertè, ore rotundò non tantum affirmavit jus, ac potestatem conferendi beneficia primariò ad Romanam sedem pertinere; sed tantas etiam Ecclesiæ turbas, tantos motus, & dissidia excitavit, quæ per plurima secula componi non potuerunt; sed multa Imperia, Regna & provincias in extremam perniciem atque interitum tandem præcipitârunt: Omnino enim Papa iste non poterat tolerare, ut in conferendis beneficiis principum vlllo pacto interveniret autoritas. Verum cum hoc non tantum rectæ repugnet rationi, sed primævo etiam Ecclesiæ instituto; imò nullus ex antecessoribus illis rem istam tantò vnquam conatu egit, paucis nunc porrò indicabimus, quid potestatis nostrò in Imperio hac parte primus sese arrogavit, quò pacto plurimi ejus successores iisdem vestigiis institerint, & quâ tandem ratione illa dissidia atq; contentiones, quæ per plurima secula durârunt, aliquâ ex parte haud exiguò cum detrimentò Imperij sopitæ atque compositæ fuerint. Hic igitur Gregorius VII. testante Sigonio de Regno Ital. lib. 9. p. 226. de collatione Sacerdotiorum ita decrevit. *Sanctorum patrum decreta sequentes, ut superioribus conventibus de Ecclesiasticis dignitatibus ordinandis statuimus, ita & nunc Apostolicâ autoritate decernimus, ut, si quis post hac Episcopatum, Abbatiam, aut aliam Ecclesiasticam dignitatem ab aliquò laicò acceperit, nequaquam inter Episcopos aut Abbates numeretur, nec alia ei ut Episcopo aut Abbati obedientia præstetur. Eadem ratione, si quis Imperator, Rex, Dux, Marchio, Comes, aut qualibet alia secularis potestas aut persona Episcopatum, aut aliam Ecclesiasticam dignitatem detulerit, eiusdem sententiæ vinculo teneatur.* Hoc telò aggressus est Henricum IV. Imperatorem, & quia pleriq; tum Germaniæ proceres à partibus Pontificis starent, imò nonnulli ex Imperij Principibus hunc Imperatorem apud Pontificem deferrent; non debere scilicet tam flagitiosum plus notum crimine, quàm nomine regnare, maxime cum sibi Regiam dignitatem Roma non contulerit, oportere Roma ius suum in constituendis Regibus reddi, Narrante, Obertò Leodiens: in vita Henrici IV, Pontifex nullo negotiò ea, quæ moliebatur, effectui

effectui non tantum ex animi sententiâ dedit, sed Regem etiam excommunicavit, & Episcopis, aliisque Regni Principibus, ut à communione excommunicati Regis se retraherent, denunciavit. De quâ Pontificis excommunicatione Otto Frising. l. 6. Hist. c. 35. ita loquitur: *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio, quenquam eorum ante hunc Henricum I. V. à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno privatum: nisi forte quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus à Romano Episcopo inter poenitentes collocatus, & Theodosius à Beato Ambrosio propter cruentam caedem à liminibus Ecclesie sequestratus sit.* Idem testatur idem autor lib. 1. de gest. Frid. 1. Imp. & Bruno in Hist. Sax: p. 121.

CVII.

Cætera, quæ ejus sub Imperiò in Germaniâ contigere, taciti nunc præterire cogimur, petantur ea ex Oberiò Leodiens. in vita huius Imperat: & Bruno: in Historiâ belli Saxonici. Quantum tamen ex Historia istius temporis colligitur, Pontifex omnes collationes ad se traxit, neq; Imperator ulli fermè investituras conferre potuit. Urbanus proximus Gregorij successor in conciliò Claremontensi inter multos Canones, post Canonem Regibus investituram prohibentem illum etiam adjecit; *Ne Episcopus vel sacerdos Regi vel alicui laico in manibus ligians fidelitatem faciat.* In Romano etiam quodam conciliò easdem innovavit prohibitiones cum apposita excommunicatione, tum ne Reges investituras darent, tum ne Episcopi & Prælati dominium Regibus facerent. Et quamvis Urbani successor Paschalis II. in pernicioso hoc antecessorum institutò perseveraret, mitius tamen non nihil Imperatorem Henricum V. tractavit, & pactum quoddam inter illum & Imperatorem hoc de investituris dissidiò est factum; in quò verba ista huc præcipuè spectant: *Ut Episcopus & Abbates liberè electos idem Imperator annulò & virgâ investiat. Episcopusq; investitus liberè consecrationē ab Archiepiscopò, ad quem pertinuerit, sumat. Si quis verò à populo & Clerò eligatur, & non ab Imperatore investatur, à nemine consecretur.* Reperi-

tur

tur illud pactum apud Gold. Tom. 1. Const. Imp. p. 253. & in alia quadam transactione cum eodem Imperatore inita, Dominus Papa concedit Henrico, Episcopo vel Abbati liberè electo, quod Imperator cum annulo & virgâ investiat. Episcopus autem vel Abbas ab Imperatore investitus liberè accipiat consecrationem ab Episcopo, ad quem pertinuerit. Idem etiam patet ex privilegio Paschalis Papæ, quod fecit Imperatori Henrico V. de investituris Episcopatum & Abbatiarum apud Gold. Tom. 1. Const. Imp. p. 255. Et in rescripto quodam ad Principes ita loquitur idem Imperator de Paschali: *Studebat subdolè, quomodo Regnum & Ecclesiam à statu suo discinderet, tractare. Quod sic facere aggressus est. Regno quidem iam à Carolò trecentis & amplius annis & sub 63. Apostolicis investituris Episcopatum eorundem auctoritate, & privilegiorum firmitate tenenti absq; omni audientia auferre volebat. Et cum per nuncios ab eò quæreremus, quid de nobis fieret &c. subiunxit; Fratres, Ecclesie Decimis & oblationibus contenti sint, Rex verò predia & Regalia, quæ à Carolo, Ludovico, Ottone & Henrico Ecclesiis collata sunt, sibi ex successoribus suis recipiat & detineat.*

CIIIX.

Quamnam victoriam Calixtus II. ab eodem Imperatore reportarit ex verbis diplomatis, quod Abb: Vrsperg. & Baron. tom: 12. Anno. 1122. exhibet, manifestò apparet, ita autem habent: *Investituras per baculum & annulum libenter concessit Papa Imperatori h. e. nudas & puras illas deposuit ceremonias baculi & annuli: electiones tamen, ut sine ipso non fierent, voluit, & ut ipsius esset investituras facere non per baculum & annulum, sed per sceptrum. Est sanè insignis Papæ victoria, electiones prius libera erant, & Imperator solâ contentus erat investiturâ per baculum & annulum, nunc electio fit serva, & non sine Imperatore. Michael Roussel. lib. 2. de Pontif. Juris, existimat annulum & baculum, quò utroq; electi Ecclesiastici ab Imperatoribus investiebantur, esse signum secularis & temporalis potestatis sive jurisdictionis, & hunc modum diu durasse donec Imperatores inciperent hunc investiendi modum ad spiritualia traducere, unde controversias inter Henricum IV. & Gregorium*

VII. Calixtum II. & Henricum V. exortas, quæ sopitæ tandem sint, ut nimirum deinceps Imperator vel Rex Germanicus Feuda cum scepro Spiritualibus viris & cum vexillo secularibus conferret. Sicuti ipse pluribus hoc exemplis demonstrat, nec ut mihi quidem videtur, à verò prorsus ab- ludere videtur. Meminit etiam hujus rei *Speculum Svevicum art. 60.* Et peculiaris conventionis exemplum inter hunc Pontificem & Henricum V. exhibet nobis *Gold. Tom. 1. Const. Imp. pag. 258.* Verba huc facientia hæc sunt: *Dimitto sanè Catholice Ecclesie omnem investituram per annulum, & concedo in omnibus Ecclesiis, quæ in Regno vel Imperio nostro sunt, Canonicam fieri electionem & liberam consecrationem. Electus verò Regalia per sceptrum ab Imperatore accipiat.* Lotharius autem Imperator huic renunciavit constitutioni, pacemq; inter se & Pontificem consistere non posse, nisi jus pristinum sacerdotiorum conferendorum, cui Henricus renunciaverat, pateretur illum habere, quippe Imperium eò jure privatum grandi quoq; vestigali spoliatum esse, quod inde percipiens, ad Ecclesie defensionem impendebat. Idem constat ex actis Comitiorum Aquaspensilium in causa Papæ cum Petro Abbate Cassinensi coram Imperatore Lothario II. Et ex decreto hujus Imperatoris de possessionibus bonorum Cassinensis & S. Vincentij Monasteriorum, *Gold. tom. III. Const. Imp. p. 321. & 326.*

CIX.

Sub Friderico I. concordata iterum periclitabantur, & fortiter hoc in negotio Imperator Pontifici sese opposuit. Ipse enim Magdeburg: Cathedræ pastorem dedit contra dicta concordata: expressè negans hoc repugnare concordatis, quæ concedant, ut si obeuntibus Episcopis, si forte in eligendò partes fiant, Principis arbitrij esse, Episcopum quem voluerit, ex primatum suorum consilio ponere, nec electum aliquem antè consecrandum, quam ab ipsius manu Regalia per sceptrum recipiat. *Otto Frising. lib. 2. c. 9. de Gest. Frid:* Hunc verò Magdeb. Episcopum Eugenius III. confirmare noluit, ut constat ex Epistolâ, quam ad Saxonia

xonia; tum Episcopus dedit; Otto Frising. l. 2. c. 8. Sed Princeps missis ad Anastasium Eugeni successorem nuntiis (sunt verba auctoris) non solum facti sui ratihabitionem, sed etiam pallium eum obtinere fecit, non sine quorundam scandalò, qui ne unquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere à proprio ipsorum ore audierant. Ex hinc non solum in secularibus, sed in Ecclesiasticis negotiis disponendis autoritas Principis plurimum crevit. Idem propemodum exemplum idem narrat eod. lib. c. 31. Hic etiam Imperator consensu procerum Imperij quædam capitula fecit, ex quibus XII. ita habet: *Cum vacaverit Archiepiscopatus, vel Episcopatus, vel Abbatia, vel prioratus de dominio Regis, debet esse in manu eius, & inde percipiat omnes redditus & exitus, sicut dominicos. Et cum ventum fuerit ad consulendum Ecclesia debet Dominus Rex mandare potiores personas Ecclesia, & in Capellâ eius fieri debet electio, assensu Regis & consilio personarum Regni, quas ad hoc faciendum vocaverit: & ibidem faciet electus homagium, & fidelitatem Regi &c.* Gold. tom: ult: Const. Imp. p. 349.

CX.
Nec cessarunt controversiæ istæ & Contentiones Frederici II. temporibus. Vbi inter alia ab Imperatore hunc modum cum Apostolicâ sede transactum est, *Illum igitur, inquit, Imperatores volentes abolere abusum, quem quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dicuntur, in electionibus Prælatorum concedimus, & sancimus, ut Electiones Prælatorum liberè, & Canonice fiant, quatenus ille Ecclesia præficiatur viduata, quem totum capitulum vel maior, vel sanior pars eius duxerit eligendum, dummodo nihil desit ei de Canonicis institutis.* Vid. Aur: Bull: § 2. quæ existat a quod Gold: Tom. 1. Const: Imp. pag. 289. Addit Michael de Rauffel lib. citat. Sed Pontifex, à quo erat confirmatio obtinenda, electiones irritas faciebat. Inde sub Rudolpho Friderici legitimo successore, cum Iavanenses suum Episcopum elegissent, Pontifex maximus, antequam eum confirmaret, delegavit, qui vitam & mores eius explorarent, his verò ferentibus eum paludamento militari amictum in sagittariorum spectaculis se offendisse, noluit eum confirmare, imò abdicavit. Et notanda diligenter ea esse existimamus, quæ Chron: August: in An. 1222. de hoc ipso narrat Imperatore, quæ prolixitatis ergò huc transferre nolumus. CXI.

Existis autem Imperatorum atq; Pontificum perpetuis contentionibus reservationes Pontificum sunt enatae in maximum Ecclesiae detrimentum, & Romani Imperij praedudicium. Ista autem reservationes, vel generales fuerunt, vel speciales. Reservationes generales paucissimae in initio fuerunt. Quae tamen exemplis & autoritate per temporis angustiam illustrare non possumus. Illud Historiae testantur, Bonifacium IX. Iohan. XXII. & Bened. XII. praeter ceteris omnibus reservationes istas acriter propugnasse. Sic Henricus Rebdorff in Annal. Iohannes XXII, ait, prius vocatus Iacobus de Cathurio de Vasconia, multas gratias de Ecclesiasticis beneficiis fecit, & ita pingues clausulas formis gratiarum suarum apposuit generaliter, quales antea ab aliquo Papa non emanaverunt, & dispositioni suae tot Praelaturas reservavit, quod ante ipsum communiter ita consuetum non erat. Idem in Anno 1333. in Alemannia, inquit, magnum schisma est in Clero & populo ex provisionibus sedis Apostolicae ad Episcopatus, solennes Praelaturas & alia beneficia, quae idem Ludovicus in odium sedis Apostolicae fortiter impedivit, multos etiam provisos a sede deiecit. Eiusmodi etiam reservationibus & gratiis expectativis acriter sese opposuerunt Carolus IV. narrante eodem autore in Anno 1345. & Sigismundus, sicuti ex c. III. Avisamentorum eiusdem & communium S. Imperii ordinum constat. Gold. Tom. 3. Const. Imp. p. 391.

In tempora demum Friderici III. concilium Basiliense incidit, in quo hac de controversia decidenda non tantum deliberatum fuit; sed unanimi etiam consensu decretum factum, ut omnes reservationes abrogarentur, nec ququam amplius eas admittere teneretur. Ex quo tempore Galli fortiter sese opposuerunt Pontificibus, & a Decreto isto Concilij Basiliensis discedere omnino noluerunt. Quo fine, ut ante diximus, habitus conventu generali Bituricensi, decreto generali omnium Ecclesiasticorum & Laicorum approbante, & subscribente Rege Carolus VII. formata est pragmatica sanctio, ac mordicus in eodem Regno detenta, pro-

recta, & usu constanti executioni mandata; fuitq; publica-
ta de more Anno 1438. Ejusmodi recepta sanctio mirificè
anxios habuit Romanos Pontifices propter reservationes
impeditas, ex quibus ingens vis pecuniæ ad Pontificem
quotannis ex eò Regno perveniebat. Itaque acriter se huic
opposuit Pius II. Sixtus IV. & Leo X. quò successu; latius
nunc persequi mihi non licet. Vid. eadem de re Duaren. *in*
tract. qui inscribitur Defensio pro libert. Eccles. Gallic. & Marc.
Ant. de Dom. l. 9. c. 8.

CXIII.

Verum cum Imperator unà cum proceribus hoc Ba-
siliense decretum non reciperet, salusque Reip. omnino e-
xigeret, ut tandem huic perniciosissimæ controversiæ finis
quibuscunq; etiam conditionibus imponeretur; inter Fri-
dericum III. & Nicolaum V. Pontificem Anno 1443. certæ
quædam pactiones intercesserunt, quæ communiter Con-
cordata nationis Germanicæ appellantur. Capita ejus præ-
cipua hæc videntur esse: I. Si extra Curiam contingat va-
care Episcopatum, officia in Cathedralibus, aliisque Eccle-
siis, vel monasterium, Electio Canonica permittatur fieri
in partibus juxta Concordata, *§. item placet nobis, quod in*
Metropolitanis &c. Vbi tamen notandum Pontificem nihilo-
minus ex evidenti causa postpositò Electò, Ecclesiæ de alio
Prælatò posse prospicere, id quod ipsamet Concordatorum
verba declarant; ibi, *nisi ex rationabili & evidenti causa, ac de*
dictorum fratrum (Cardinalium) *consiliò de digniori & utiliori*
personâ deduxerimus providendum. II. Constituitur, ut ordi-
narij Electores VI. mensibus, si in iis beneficium quoddam
vacaturum sit, Februariò nimirum, Aprili, Juniò, Augustò,
Octobri, & Decembri pro suo arbitriò eligere, & præsentare
personas, imò quæcunque Ecclesiastica beneficia con-
ferre possint, reliquos sex menses sedi Apostolicæ esse reser-
vatos. Postmodum cum tempore Clementis VII. à non-
nullis Archiepiscopis, Episcopis & aliis Ecclesiis hæc Con-
cordata negligi, nec in observantiâ haberi cœperint, acri-
ter se dictus Pontifex opposuit, & peculiarem iterum con-

stituti-

L

VXO

stitutionem fieri curavit, quæ publicata est Anno 1534. De mensibus autem reservatis peculiarem itidem declarationem atq; interpretationem Gregorij XIII. habemus, cujus verba huc transferre prolixum nimis foret: facta autem est Anno 1576.

CXIV.

Quantum itaque apparet, ex illis temporibus Germanis liberæ in Electionibus voces manserunt, confirmationes autem Electorum summus sibi Pontifex attribuit, cautum enim istis Concordatis est, ut per electiones provideretur dignitatibus Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum, electi verò confirmarentur à Pontifice, nisi ex rationabili & evidenti causâ, alium ut digniorem duceret subrogandum; confirmati autem suo Metropolitanano juramentum præstarent. Ita tamen ut ab hac concessione excepta sint, quæcunque apud sedem Apostolicam vacarent. Verum nec ea etiam concordata integrâ fide observata fuisse, docere videntur querelæ Germanorum, quarum Aeneas Pontifex mentionem facit. Imò inter Gravamina Maximiliano Imperatori Anno 1510. exhibita, illud præcipuum fuit, quod Electiones Prælatorum quandoque rejicerentur. Ideoque non destiterunt Germani Imperatorem rogare, ut se instrueret, quomodo in Franciâ dignitatibus provideretur. Idem postmodum Carolo V. in Comitibus Noribergæ habitis Anno 1522. expositum fuit in 100. Gravaminibus, quæ Germania pati dicebatur ab Romanâ Ecclesiâ; quorum pleraque sunt de attenuatione juris Patronatûs & usurpatione Collationum adversus ordinarios, præventionis prætextu vel vacantium in Curia; de Commendis item, ex quibus accidisse aiebant, ut in monasteriis vix 6. aut 5. alantur Monachi, cum antea solerent 40. aut 50. sustentari: Imò omnia ista gravamina ad tria præcipuè capita redigebant, Primò quod Pontifices gravissimâ servitute populum premerent. II. Germaniam facultatibus exspoliarent. III. Magistratûs sæcularis jurisdictionem sibi vendicarent.

CXV.

Tantos in Germaniâ motus, tot dissidia hæc de investituris controversia olim excitavit. Hæc omnia autem quamvis pluribus à nobis deduci possent, temporis tamen rationem habentes, instituto nostro satisfecisse existimamus. Nunc paucis saltem, illis generalibus præmissis de istis beneficiis, quæ in imperiò nostro tum dignitatem tum jurisdictionem atque regalia annexa habent, differemus, atque sic colophonem huic nostro discursui bonò cum Deo imponemus. Ac primò quidem de Archiepiscopis. Ad ea majestatis jura, quæ soli Imperatori, ut reservata; competunt, pertinet etiam jus Archiepiscopos creandi, investendi, iisdemque regalia conferendi. In Germaniâ ante Caroli M. tempora dignitas ista nondum invaluerat, sed ejus demum sub imperiò, & secutis temporibus Archiepiscopi per Germaniam sunt constituti. Occasio quæ fuerit, ex iis quæ supra diximus, satis apparet. Cum enim non tantum imperium indies magis magisque sese dilataret, totaque paulatim Germania Christianam religionem profiteretur, ne fortassis confusio quædam atque perturbatio in Ecclesia oboriretur; veteris vel forte finitimarum Ecclesiarum exemplo certi in Germaniâ Metropolitanani sunt constituti, qui suos habuerunt suffraganeos: quorum catalogum hic inserere nec licet, nec etiam tanti fortassis est, ut eam ob causam nostrum hunc discursum longius producamus. Illud sciendum est, & ex veteri historiâ liquido constat, olim potestatem creandorum atque eligendorum Archiepiscoporum penes Capitula Cathedralium Ecclesiarum, accedente Imperatoris autoritate, consensu atque confirmatione, fuisse sitam. Postquam autem illam, ut dictum est, Pontifices nullo omnino jure ad se traherent, mansit quidem ordinaria electio, investitura item de temporalibus possessionibus, jurisdictione & regalibus, confirmationem tamen soli Pontifices sibi reservarunt; sicuti hac de re supra pluribus à nobis dictum est.

Officiorum illorum atque potestas, si primam hujus ordinis originem spectes, in eò potissimum consistebat, ut curam gererent animarum, temporalia Ecclesiæ bona conservarent, de ministris sede vacante Ecclesiis prospicerent, & omnes confusiones atque schismata, quoad fieri poterat, averruncarent. Cujus autem hodie in Imperiò dignitatis sint, ex sequenti thesi fiet manifestum, ubi de insigni mutatione, quæ Ottonum tempore in Ecclesiasticis dignitatibus contigit, nonnulla subiiciemus.

Episcoporum dignitas atque officium antiquissimum est, & jam tum Apostolorum temporibus hunc ordinem in Ecclesiâ fuisse usitatum, ex superioribus satis superque constat. Quò autem tempore in Germania invaluerit, fortassis non ita certò determinari potest. Nobis verosimile est, tum temporis fuisse institutum, cum jam populi nonnulli Christianam Religionem amplecterentur; ex quibus Francos omnium primos fuisse, certò nobis persuademus. Quemadmodum autem, Caroli M. tempore, ut notum est, Francorum vires in tantum creverunt, ut ejus sub auspiciis tota non tantum Germania debellata fuerit; sed in unum etiam corpus omnes istæ antea separatæ provinciæ coaluerint; Ita certum quoque est, eundem Carolum Ecclesiasticum non minus, quam Politicum Regimen optimis legibus constitutis prudenter ordinasse, sicuti id ipsum Historiæ & Capitula Francorum satis superque testantur. Ac primò quidem Electio Episcoporum penes Clerum atque univèrsam populum consistebat, nec facilè huic in vito, aut inconsulto Ecclesiastica quædam persona obtrudebatur; Patet hoc ex Capit. l. r. c. 90. *Statutum est, ut sine autoritate vel consensu Episcoporum presbyteri in Ecclesiis non constituantur, nec expellantur, etsi Laici Clericos probabilis vitæ & doctrinæ Episcopis consecrandos, suis in Ecclesiis constituendos obtulerint, nullâ qualibet occasione eos rejiciant.* Alia exempla petantur ex Lehm. lib. 2. c. 34.

Quodnam autem officium ipsorum tum temporis fuerit similiter ex verbis unius atque alterius Capituli fiet manifestum. Ita enim Carolus in Capit. l. 1. c. 82. de Episcoporum prædicatione sanxit: *Non sinatis, presbyteros nova vel non Canonica, ex suo sensu, & nondum secundum scripturas sacras fingere, & prædicare populo. Sed & vosmet ipsi utilia, honesta & qua ad vitam ducunt eternam, prædicare, aliosque instruite, ut hac eadem prædicent.* Capit. lib. 2. c. 4. ita habet: *Specialiter pertinet ad Episcopos, ut primum ad sacrum ministerium suscipiendum iuste accedant, & in eodem ministerio religiose vivant, & tam bene vivendo, quam recte prædicando populis sibi commissis iter vite præbeant &c.* Monasteriis item tum consilio tum autoritate præerant, ut liquet ex Capit. l. 5. c. 78. Iurisdictio autem illorum spirituales causas non excedebat, sicuti hoc pluribus eruditè demonstrat Christoph. Lehmann: l. 2. c. 34.

Quâ hodie in Imperio potestate, atque iurisdictione polleant, neminem fugere existimamus, cui aliqua saltem ex parte patriæ Reip. status cognitus est. Postquam enim Episcopi non minus atque cæteri Imperij status ab Imperatoribus diocæsesibus, quibus præerant, investiti; omnimodam non tantum iurisdictionem, sed omnia etiam illa jura, quæ cæteris Imperij statibus competunt, consecuti sunt, atque sic secularis & Ecclesiastica potestas, quæ olim separata erat, in unâ personâ conjungi cœpit. Vid. text. in Aur. Bull. tit. 26. qui est fin. in princip. Wann sie ihre Königliche Lehn vom Kaysen oder König nehmen / oder empfangen. Et in §. darnach wann die andern Fürsten des Reichs Geistlich oder Weltlich. R. Ab. Anno 1500. §. sub rubr. der Teutsche orden. De tempore inter omnes ferme convenit, tribuuntque Ottoni I. qui fratrem suum Brunonem Archiepiscopum Coloniensem seculari iurisdictione decoravit: da begunten zu erst die Bischoffe weltliche Recht zu haben / daß dauchte dahmahls vnbillig manchen man. Andreas Knich. de iure ferr.

iur. c. 1. n. 28. Reinec. de orig. Saxon. fol. 24. Quò in institutio
successores postmodum imitatores habuit; quò verò cum
Ecclesiæ emolumento experientia docuit, parum enim ex
ejusdem utilitate atque commodò fuisse certò nobis per-
suademus. Videatur eadem de materiâ Ioannes Berta-
chinus de Episcopis. Antonius de Prætis. Herm. Bruschius
comment: Hist. de Episcopatu German. Aubertus Miræus
cum tit. Notitia Episcopatum. Francisc. Maynardus de ju-
rib. Episcoporum. Nunc de Abbatibus uno tantum verbò.

CXX.

Dignitas ista pervetusta est, & cum ipsis monasteriis
initium sumsisse videtur. In Germaniâ tum ante tum post
Caroli M. tempora quam plurima monasteria tam Mona-
chorum quam Monialium fuerunt reperta; In civitatibus
autem serius aliquantulum eiusmodi monasteria fuisse in-
stituta existimat Christoph. Lenhm: l. 2. c. 33. idque pluri-
bus exemplis demonstrat, quæ brevitatis ergò huc trans-
ferre nolumus. Quamvis autem ista monasteria unà cum
Abbatibus in rebus Ecclesiasticis ante Caroli M. tempora
seculares Principes, quorum sub territorijs erant sita, supe-
riores non agnoscebant; sed quælibet sui ordinis primos
fundatores, qui hodie provinciales communiter appellan-
tur: ex legibus tamen & Capitulis, quæ Caroli M. sub Im-
periò sunt constituta, liquidò apparet, ipsum monasteria
quoque unà cum Abbatibus, Episcoporum jurisdictioni
atque potestati subjecisse. Vid. Capit. l. 5. c. 78. 79. & l. 5. c.
25. Quoad civilia autem & criminalia olim certi ab Impera-
toribus advocati constituebantur sicuti de VVormatiensi,
VVurtzburgensi Episcopatu, Fuldensi, Campitonensi &
VVeissenburgensi monasteriis exempla refert, Andr. Knich.
l. 2 de iur. territ. c. 4. in verb. Bögten n. 33. De monasteriò item
Corbeiensi Letznerus in Chron. Corbeiens: c. 14. Hodiè verò
cum Episcopi & Prælati Imperij omnes de jurisdictione u-
niversa ab Imperatore instar Politicorum Principum inve-
stiantur; Advocatorum officium in Episcopatus admini-
strati-

stratione in desuetudinem abiit. Plura vid. apud Paur-
meist. l. 2. c. 10. Mihi enim per temporis angustiam ea ulterius
persequi non licet.

CXXI.

Atque hæc sunt, quæ de Imperatore Romano-Ger-
manicò, statibusque Imperij, aliisque inde enatis quæstio-
nibus publico examini subicere voluimus. Plura nobile
hoc argumentum sibi postularet, plura etiam meditati su-
mus, sed hac vice mihi nec per temporis angustiam, nec alia
impedimenta longiori esse licuit. Quicquid autem id est,
veritati indagandæ scriptum est, si alicubi error commis-
sus est, si quid minus perfectè à me dictum, modestus le-
ctor, ut spero, facile eâ parte mihi ignoscet, imò se-
quoque hominem esse cogi-
tabit.

F. I. N. I. S.




AK 1528

ratione in detur non est. Plus enim est in
 meli. A. e. o. Mihi enim est tempus arguendi et non
 u. persequi non liceat.

CXXI

Atque hae sunt quae de Imperatore Romano. Cetero
 rariore. Salsburgae Imperii. Insuper inde erant quae pro-
 nibus publico examini subicere voluerunt. Plus nobis
 hoc argumentum sibi possidat. Plus etiam medietate
 mus, sed hac vice mihi nec per temporis angustiam, nec alia
 impedimenta longiori esse hinc. Quicquid autem id est
 verum indagare scriptum est, si aliquid error commisit
 in se, si quid minus perfecte me dixit, modelus se-
 cior, ut spero, facile ea parte mihi annectat, uno se
 quodque hominem esse cogi-
 tabit.

F I N I S



AK

AK



B. M. II, 69.
h. ii, ii.

IM
RE
MA

X 18760

MAGNIA
COM

DN. IC
ICto, PA
nario, Fa
niff. ite

PRO DO
GIIS

CHR

Apud

RALIS

TO
-GER-
TIBVS

INIS IVRIS-
A IVLIA

CLVDIO
SORE ORDI-
Decano, Sere-
ario, promo-

RE PRIVILE-
QVENDIS

Engelbrecht

ERV M,

II R
1528

